


Sammlb. 50

Zur
Gräfl. vom Hagen'schen
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN
gehörig.

N^o 1399




DISSERTATIO THEOLOGICA,
DIGNITATEM NATURÆ
HUMANÆ
EX GEN. IX. 6.

3
QUISQUIS
EFFUNDIT SANGUINEM HOMINIS,
PER HOMINEM SANGUIS ILLIUS EFFUNDITOR:
QUONIAM
AD IMAGINEM SUAM HOMINEM FECIT DEUS,
DEMONSTRANS.

PARS TERTIA ET ULTIMA
QUAM V. D.
IN ACADEMICO AUDITORIO MAJORE
MDCCLXIV. DIE XV. FEBRUARII,
PACIS, HUBERTIBURGI ABHINC ANNUM
CONCILIATÆ,
NATALI,
PUBLICE DEFENDENT H. S.

P R Æ S E S
PETRUS JANSSEN,
SS. THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE ET HISTOR. ECCLES.
PROFESSOR PUBLICUS ORD.
ET RESPONDENS
WERNERUS KÆMERLINGS,
DURSELO JULIACENSIS.


TEUTOBURGI AD RHENUM,
TYPIS FRANCISC. ADOLPH. BENTHON,
ACAD. TYPOGR.

DISSSERTATION THEOLOGICA
DIGNITATEM NATURAE

HUMANAE

EX GEN. IX. &

AD IMAGINEM SUAM HOMINEM FACTI DEUS
ET HONOREM SUUM HUIUS REFORMATIONIS
RESTITUIT SANGUINE HOMINIS

PARS TERTIA ET ULTIMA


IN ACADEMICO AUDITORIUM MAJORE
PACIS HUBERTI BERGII ANNO ANNI
CONSULTATA

PUBLICO DEFENDIT M. S.
P. R. E. S. S.

PETRUS JANSEN

SE. THEOL. DOCTOR, PASTOR ET HISTOR. ECCL. S.
PROFESSOR PUBLICUS ORD.

WERNERUS KEMMLING



THEOPHILI DE RHEINI
THEOPHILI DE RHEINI
THEOPHILI DE RHEINI



ACADEMIÆ REGIÆ
DUISBURGENSIS
SENATUI AMPLISSIMO VENERABILIQUE;
RECTORI MAGNIFICO, DOCTORIBUS
ET PROFESSORIBUS
QUARUMVIS SCIENTIARUM,
DOCTISSIMIS, CELEBERRIMIS,
DE ALMA MATRE, ACADEMIA, DEQUE RE PUBLICA
OMNI,
EX DOCTRINARUM PASTU NUTRIMENTUM, ROBUR,
DECUS, TRAHENTE SUUM,
PRÆCLARE MERITIS, IN DIESQUE
MERENTIBUS,

POST
CONCESSAM A REGE CLEMENTISSIMO
ADVERSARIIS INCOMPARABILI ET DIVINA
QUADAM INDULGENTIA
PACEM;
REDDITAMQUE HUIUS BENEFICIO MUSIS
VITAM,
HASCE REDIVIVARUM EXERCITATIONUM
ACADEMICARUM
PRIMITIAS,
PARTEM TERTIAM,
SACRAS ESSE JUBET,
VENERATIONEM, AD QUAM SE OBSTRACTISSIMAM
SENTIT, OMNIBUS PRODERE ET SIGNIFICARE
MODIS GESTIENS ARDENSQUE,
PIETAS,

In die
Lehrer
auf der
Königlichen Universität zu Jüdisburg
Seine
Hoch- und Werthgeschätzten Mit-Arbeiter.

Der, so den Acker baut, und bauen hilft, genießt
Mit allem Recht der Frucht, die aus der Arbeit sprießt: *
Hier diese Erstlinge frolocken ob dem Segen,
Daß sie auch **Luch** sich weih'n, **Luch** sich empfe-
len, mögen.

* 2 Tim. II. 6.

Pet. Janssen.



AD LECTOREM.

Dissertationis Academicæ; Hilariis de compo-
sito feliciter inter Serenissimum Potentissi-
mumque Borussæ Regem, Regem & Domi-
num nostrum Clementissimum, & Principes Adversa-
rios, bello, magno & gravi, concelebrandis dicatæ, par-
tem tertiam & ultimam publice ventilandam exhi-
beo *hoc ipso die*, quo abhinc annum summa summi
Numinis Misericordia moerenti supra quam dici po-
test Patriæ post longam & lugubrem noctem exortus
rursus est Pacis phosphorus, qui, incredibile dictu,
quantum attulerit recreationis! gaudiorum, hilaritati-
nis, quantum! Faustus hic Dies, qui altera nunc vice or-
bi illuxit, in fastis meretur ut luceat, Festi diei inducus
honoribus, ejusque apud nos & posteros vigeat recor-
datio, vigeant jungenda cum ea pietatis officia: hinc ob
πρωλαδεια a cervicibus nostris depulsionem; inde pro-
pter Bonorum, universam ad Germaniam, Patriam, Ec-
clesiam, & hanc quoque bonarum artium Officinam,
manantium, quæ jam tenemus partim, partim speramus,
jucunditatem & magnitudinem. Meminisse non pos-
sumus pulcherrimi hujus & divini Diei, quin vehe-
menter etiam atque etiam gaudeamus, ab insolentia
& indignitate vexationum, quæ imperiosæ nesciæque
legum libidini in promptu sunt, liberati: præcipue ve-
ro excubantem pro salute nostra Numinis Providen-
tiam gratis animis & vocibus adoremus denuo, itera-
tisque veneremur precibus, ut Pacem hanc stabilem,
&



& Patriæ, ejusque Antistitibus & Civibus, Patri præfertim patriæ, cujus, secundum præpotentem rerum omnium Deum, Magnanimitati & Clementiæ hoc inæstimabile acceptum ferimus donum, jucundam, utilem, salutarem, Regemque carissimum felicitate hac quam diutissime maectum esse jubeat!

Sit salvus sospesque diu REX optimus! almæ
Muneribus Pacis gaudeat Ipse diu!

Sub Sceptro vigeant ipsis, Pax optima! rebus
Relligio, Probitas, & Decus omne, tuo!

Si turbant animi pacem malefacta metusve:

Dic animo, tua sum Pax ego, CHRISTE Deus!

Si tranquillato cieantur in æquore fluctus:

Has quoque, ne turbent, Pax tua sternat aquas!

Hæc tua Pax, Pacis, captum superantis, Origo!

Omnibus in nostris luceat usque viis!

Prologus Actui primæ Disputationis
præmissus.

Auditores cujusvis Ordinis & Dignitatis
Honoratissimi!

Hilaria, acta nuper ob Pacem, incomparabili & divina quadam indulgentia Serenissimi & Clementissimi Regis nostri adflictißimæ Germaniæ & infinitis vexationibus atque exactionibus tabescenti Patriæ redditam tandem, Hilaria, inquam, acta nuper ob redditam Patriæ Pacem, constitueram publica Exercitatione Academica concelebrare, &
Regi



Regi Victori, Regi vere Magno, Heroi Incomparabili, Magnanimo, Invicto, de bello, si quod unquam, gravi & laborioso, adversus potentissimorum Hostium exercitus, undique terrarum & gentium excitatos, incredibili Fortitudine, Virtute, Constantia, per sex integros annos gesto, feliciter composito & pace gloriosa coronato, publice congratulari simul, simul consideratione quadam theologica persentiendam dare gaudiorum, quæ non mediocria futura facile prævidebam, liquidissimam sincerissimamque voluptatem. Verum fieri non potuit propter temporis brevitate, ut typis excusa in ipsis Hilaris compareret parata hunc in finem Dissertatio. Quod tunc in animo destinaveram facere, hoc Aud. Hon. hodie fieri videtis. Exiguum profecto fuisset gaudium nostrum & apprime macilentum exsuccumque, si una cum tempore Hilariorum emarcuisset illud, & tam cito vigorem suum & virorem amisisset. Cui ex memoria non excidit, quantum Pax recuperata a capitibus nostris dispulerit malorum, tum quæ viscera nostra & medullas exedebant jam, tum quæ certissime metuenda habemus; si bellum, ad disperdendum & atterendum comparatum, in longius extractum fuisset tempus: cui, inquam, ista malorum vis & lerna non excidit ex memoria, (& cui excidere potuisset, nisi in stipitem aut lapidem converso?) is lætitiæ, ex Pace, pestes istas perimente, semel & initio perceptam, non sentiet, breviculi certe temporis intervallo non sentiet, in animo suo deminui: is etiamnum & hodie de felicitate, inde in nos redundante, pergaudebit: is ad immortales Deo & Regi pro summo hoc beneficio gratias agendas se etiamnum agnoscat & profitebitur obstructum, & hilare libenterque, quoties ad id datur occasio, hoc pietatis officio defungetur, eodemque hilari & libente animo pro Regis carissimi salute, utque Pacis, incenarrabilibus laboribus comparatæ, Ipsemet cumulatiflime, valens, salvus & sospes, semper, per-

frua.



fruaturs fructibus, vota facere continuabit. Qua valetudine & prosperitate ut summum Numen Regem desideratissimum beet, & per Ejus Sapientissimum & Clementissimum Regimen almam Patriam, sinceros Regiarum Virtutum Cultores, cunctosque, qui in potentissimi Regis sunt ditio- ne & potestate, Domini sui reverentes & amantes, Cives, exhilarare pergat, exhilarare & fovere pergat Ecclesiam, & bonam hanc bonarum artium & scientiarum Matrem & Sedem, Academiam, ad longissimum usque vitæ humanæ terminum, hoc est, quod privatim, quod publice, & nunc etiam, Dominum & Moderatorem omnium rerum, benignis- simum Deum, maximopere precamur & supplices ora- mus. Considerationem theologicam ipsam, quæ in gau- diis nostris nihil sinit esse fecis, & animum, belli cruentissi- mi memoriam replicantem, limpidissima & ineffabili etiam- num voluptate mulcet & perfundit, in Præfatione ad Lecto- rem, dissertationi præfixa, exposui: ad quam sciendi eam cupidos mihi liceat remittere. Hoc superest, ut ad dimica- tionem literariam excitem & invitem, quibus volupe est in hoc Eruditorum cœtu partes suscipere opponentium. Ho- rum jam impugnationes hilari & composito ad defenden- dum pectore expectamus.

EMENDANDA.

Pag. 22. lin. 10. in nota leg. *metaphora*. P. 26. l. 4. pro *immediate* leg. *immediate*. P. 44. l. 20. pro 25. leg. 15. P. 40. l. 27. *abscondere*. P. 42. lin. 15. *propatulo*. P. 64. l. 2. *prætermittere*. P. 85. l. 24. in nota *superstruantur*. l. 27. *denotet*. P. 123. l. 20. post *legislatoris* adde, §. LIV. Proprietati, Verbo *γῆ* in formatione hominis da- *ctæ*, non obstat Gen. II. 19. P. 176. l. 3. 4. *invitantis*.

DIGNI-

DIGNITAS NATURÆ HUMANÆ

EX GEN. IX. 6. DEMONSTRATA.

CAP. III.

CONSPECTUS CAPITIS.

§. XXXII. Applicatio observationum, huc usque proditarum ad Gen. IX. 6. §. XXXIII. De propria virtute nominis אלהים. Ejus thema אלה consignat *splendere*. Fundus perantiqui Nominis divini *Elohim*. Angeli item nominantur *Elohim*, & quare. §. XXXIV. Nomen *Elohim* primitus datum *Filio Dei*, universi & hominis Creatori. In אלה, themate nominis *Elohim*, demonstratur virtus *splendendi*. Quæ potestate *transitiva* in *Eloah* præbere potuit tum *Creatorem*, tum *Liberatorem*. §. XXXV. *Versus tertius & nonus* prologi Evangelii Joannis excutiantur. *Versus tertii* explanatio. Explicatio *versus noni*. Verba, ερχομενον εις τον κοσμον, connecti debent, non cum, φως, sed cum παντα ανθρωπων. In *Nota* subjecta. Commentatio recentata, qua *versus decimus tertius* congruentius acrimini & dictionibus Evangelistæ explanatur, quam ab aliis factum. Inconvenientia expositionum, ab Eruditis in medium datarum & probatarum cum maxime. Ipsa commentatio proponitur. §. XXXVI. Potestate *intransitiva* *Eloah* notare potuit *splendentem*, substantive *splendorem*. Metonymice *Eloah splendor* potuit nominari, qui cum splendore, in splendida specie, apparebat. §. XXXVII. Utraque potestas & *transitiva* & *intransitiva* in *Eloah*, *Elohim*, potest in censum venire. §. XXXVIII. Dictione, *Tzelem Elohim*, explicata ex hoc adpectu, Creatoris hominis in homine imaginem arguit & cogitandam offert. Inde patet

R

121.

ratio, cur Elohim hominem fecisse dicatur *betzelem Elohim*. §. XXXIX. Non sine causa Deus Gen. II. & III. constanter nominibus *Jehovah Elohim* proponitur. Princeps virus nominis *Jehovah*. Convenientia nominis *Elohim* ad Creatorem Universi & speciatim hominis ad imaginem secundum similitudinem ejus designandum. Convenientia nominis *Jehovah Elohim* in prima Gratiae, lapsis hominibus factae & annunciatae, scena. §. XL. Nomen *Elohim* inde a primordiis mundi apud Cultores Numinis magno in pretio & usu fuit. Quod denominatio Sethitarum, inde petita, docet. Qua via vocati de nomine *Jehovah Filii Elohim* nominati. §. XLI. Vis loquutionis, qua Deus se *hominis* alicujus aut *populi Elohim* aut esse, aut futurum esse, declarat. §. LXII. Sine dubio cum titulo *Elohim* connectuntur opera & beneficia Gratiae. Usus potestatis, nomini Elohim datae Ps. XLII. 12. Ps. XLIII. 5. Interior natura nominis *Elohim* gemino emblemati *Solis & Scuti* Ps. LXXXIV. 12. potuit dedisse ansam. Commemorabilis titulus *איש אלהים*. Consideratio historiae, Jud. XIII. enarratae. §. LXIII. Demonstratur, nomen *Elohim* Creatorem & *supremum Dominum* consignare. Moses hinc Pharaonis inde Aaronis *Elohim*. Populi Judaici Magistratus *Elohim*, sicut Adam morituri, & sicut unus principum casuri. §. XLIV. De emphasi, in eo residente, quod homo conditus dicatur *betzelem Elohim*. §. XLV. Amplior mysterii hujus explanatio. §. XLVI. Creatio corporis Adami cum veste lucida ad exemplar Creatoris sui post hujus amissionem insignem retinuit usum. Harum magnarum rerum statim post lapsum fiebat Revelatio in prima promissione gratiae. §. XLVII. Vocabulum *עלם* Gen. IX. 6. *רמות* non comprehendit, sed excludit. Quamquam Adam, peccato perpetrato, amisit *רמות*, retinebat tamen Creatoris sui *עלם*, *imaginem*, quam & ad liberos suos & posteros propagavit. Haec Naturae humanae summam dat nobilitatem summoque & liquido jure sum-

summo supplicio violationem ejus prohibet & vindicat. Ex dictis universalitas & constantia Sanctionis hujus intelligitur. Lucet dictorum veritas in versione, Adam reddente *per homines*. §. XLVIII. Ratio in ipso habetur contextu, vocabulum *imago* in ista, quam ei damus, accipiendum esse limitatione. §. XLIX. Recepta de imagine Dei in primo homine doctrina causæ, Sanctioni divinæ annexæ, sufficientem & perspicuam, quod tamen in ea desideratur, non dat rationem. In censum venire non potest *spiritualis natura*. Nec *qualitates morales*, in quibus ponitur *formale imaginis Dei* in homine. Nec *dominium*, homini datum a Deo in animantia. §. L. Neque satisfaciens est Heideggeri explicatio. §. LI. Nostra imaginis Elohim in homine explicatio *Rationem*, Sanctioni Gen. IX. 6. additam, in tam clara ponit luce, ut nemo non actutum eam capiat, vimque ejus & pondus persentiscat. §. LII. Jac. III. 9. genuinum contextus Gen. IX. 6. sensum recludit, & explicationem nostram flagitat & constabit. §. LIII. Solvitur objectio, quæ explicationem nostram videtur evertere. Periphrasis Sanctionis Gen. IX. 6. ex mente Legislatoris.

§. XXXII. Hisce præmissis & positis fundamentis, *Applicatio observatio-* regrediamur ad Contextum nostrum Gen. IX. 6. & quid *num, huc* lucis is inde haurire possit, dispiciamus: ad genuinam *usque pro-* rationem, qua Deus mandatum suum de homicida vicissim *dicarum, ad* occidendo sancit communisque, reperiendam atque *Gen. IX. 6.* introspiciendam.

Non dubito, Deum Gen. IX. 6. primi hominis, Satoris universi generis humani, respicere creationem.

In historia creationis primi hominis Gen. I. 27. & Cap. V. 1. ubi ea repetitur, narratur, Deum creavisse hominem *in, cum, imagine, similitudine, Elohim*. Utroque in loco nomen *Elohim* reperitur. Eandem constructionem etiam Gen. IX. 6. offendimus. Singularem in ea in-

sinuari emphasin, jam tactum & monitum est supra. Dī-
bimus hic loci operam, ut in clariore eam ponamus luce.

De pro-
pria Virtu-
te Nominis
אלהים

§. XXXIII. Nomen divinum אלהים, in numero sin-
gulari אלה, descendit a radice אלה, habentē in fine ה
radicale, seu puncto mappik notatum. Radix quidem
hæc non occurrit in hodiernæ linguæ Hebrææ reliquiis:
sed sine dubio olim in ea viguit & vixit. Dives dialecti
Arabicæ penus feliciter eam, uti multas alias, ex ditione
Hebræa fugitivas, adseruavit cum potestate *colendi, vene-
randi*. Unde principem quoque & primigeniam ejus con-
discimus virtutem, quæ est *quati, concuti, tremere*.

Ejus thema
אלהים confi-
gnat splen-
dore.

Quia *splendori*, acriter micanti & coruscanti, proprius
est *motus vibrans & tremulus*: hinc facili alveo verba, pro-
prie *tremere, quati, concuti*, notantia, usum adsciverunt *mi-
candi, splendendi*. Neque obscurum mihi est, antiquitus
& hunc sub אלה obtinuisse significatum, eaque de causa
in lingua Arabica *Solem & Lunam* nominibus insigniri ex
אלה propagatis, & cum *bilal*, cujus radix הלל sine du-
bio *splendere* notat, commutari.

Dici quidem posset, *Soli & Lunæ* ista imposita esse
nomina; quod præcellentissima hæc cæli luminaria, uti a
plerisque fere gentibus, veri Dei ignorantibus, ita etiam ab
Arabibus, ut Divinitates culta sint: veluti *Golius* quoque
in Lexico suo Arabico hanc videtur adducere rationem.
Quo pacto ratio, quæ ex istis nominibus repetitur, ad usum
splendendi themati אלה contribuendum, infringingeretur, certè
probationis amitteret nervum: aliud ergo requireretur ar-
gumentum, ad hunc quoque significatum sub אלה evincen-
dum. Bene! offendimus duo themata, cum אלה sororio
nexu devincta. Unum est ולה, in lingua Hebræa ילה,
proprie item sonans, *quati, concuti*: unde enotatæ apud
Golium potestates emerferunt, *mente turbatus, alienatus,
impatiens & impotens fuit*, metu, aliove vehemente adfe-
ctu, q. d. mens metu fuit *concussa & sibi quasi excussa*.

Alte.

Fundamentum *venerationis* hujus utique sunt omnes perfectiones, quæ Deo, tamquam Enti æterno, per se ipsum subsistenti, competunt & propriæ sunt. Interim tamen externa videtur fuisse causa, quæ per antiquum istud peperit nomen. Hanc ansam & causam non sane ineptè putem a crebris Dei apparitionibus in fulgentissima, fulgurante, visibili forma, metum, terrorem & tremorem, incutiente, arcessi. Quum *Maria Magdalena & Maria Jacobi & Salome* in sepulcro Servatoris juvenem viderent sedentem, candida & splendente stola amictum, *expavescebant. tremor & stupor eas invadebat* Marc. XVI. §. 8. Luc. XXIV. 4. 5. Idem aliis accidebat, quibus hujus generis apparitiones eveniebant. Unde consuetæ alloquii istis in *επιφανεσιαις* formula: *Ne metue.*

Angeli item
nominantur
Elohim, &
quare.

Psalmo VIII. 6. & Angeli **אלהים** Elohim nominantur: Conf. Heb. II. 7. Quod nomen a specie item fulgida reverendaque, in qua hominibus apparuerunt, accipere potuerunt. Hac saltem in sede Psalten regium ad spectum *fulgoris* in apparitionibus cum hisce Elohim connexuisse, ex contextu mihi videtur lucere. *Quum respicio celos tuos, & opus digitorum tuorum: lunam & stellas, quas statuisti. Quid est enosch, quod memor sis ejus? & filius hominis, quod visites eum? (Vulg. quoniam visitas eum) minorem quidem fecisti eum paulisper Angelis: sed gloria & majestate coronasti eum* vs. 4. 5. 6. Quæ verba *περιφραζω* sequentem in modum: Quum cælum, stupendum illud æternæ potentiae tuæ & sapientiæ theatrum, nitorem lunæ, stellarum innumerabilium, quas manus tua in liquido aethere, tanquam in solido firmamento, collocavit & defixit, fulgores, nocturno tempore intueor & considero: admirabundus exclamo: **מה אנשׁ** Quid Enosch? (26) Qua interna præstantia, digni-

(26) **מה אנשׁ** Quid Enosch? cum admiratione & exaggeratione, cum respectu ad reconditam, abstrusamque ab hominum oculis, dignitatem, supe-

gnitate, virtute, gratia. caritate, apud Te est ille, nullo non diritatis & plagarum genere *quassatus, contusus*, fractus & contritus, modis omnibus exinanitus, mortalium adfectuissimus omnium, nauci, pro nihilo, habitus, ærumnarum mole obrutus, miserrimeque miser, *enosch*, & *filius hominis*, quoniam ejus recordaris, & modis mirificissimis ornas, in summum dignitatis & gloriæ fastigium evehis eum! Inferiorem quidem fecisti eum angelis, qui in signum,

superioremque miratione excellentiam, summis in afflictionibus & miseriis Deo commendantem hunc Enosch, carumque facientem super omnia. Consimilem voculæ hujus usum habes Cant. V. 9. *מה* *Quid dilectus tuus præ dilecto alio*, o pulcherrima feminarum? *מה*, *Quid*, dilectus tuus, præ dilecto alio, quod ita adjuras nos? hoc est, qua specie, quibus qualitatibus, dotibus, virtutibus, ornamentis, suavitatibus, excellit dilectus tuus præ dilecto alio?

Videt Lector, rerum nostrarum peritus, interpretationem me adferre, a recepta prorsus diversam: nec temere me istam puto ingredi viam. Vocula *מה* redditur tum *quam* tum *quid*. Prius requirit *Verfus* hujus odæ *secundus*, in fine repetitus: Jehovah, Dominus noster, *מה ארדר שמך בכל הארץ* *Quam* magnificentum Nomen tuum in tota terra! LXX. *ὡς θαυμασον*, *Vulg. quam admirabile!* locique alii bene multi. Illud *quam* commate *quinto* non quadrat & a subsequente oratione repudiatur. Hinc vertitur *Quid*. LXX. *Τι ἐστιν ἀνθρώπος, ὅτι μνησθησθαυτῆς*; *Vulg. Quid* est homo, quod memores ejus? Hoc *quid* exprimendæ & admirationi & exaggerationi infervit. Hæc vel tenuitatem vel laudabiles dotes exaggerat. Illic persona vel res, cui jungitur, deprimitur: hic extollitur. Quemnam nunc hæc in sede adoptabimus usum? Prior placet Interpretibus, quos inspicere mihi licuit, mihi non æque placent. Suppono, *Enosch* & *Ben Adam* eandem designare personam, peccatoris nimirum Liberatorem, Semen mulieris, per excellentiam *Filii hominis* gerentem titulum, Servatori cum primis adamarum, quo non tantum ejus insinuat *κενωσις*, sed *ἐπιχρημα* etiam & dignitas, in Mediatore *Θεανθρώπου*, Semine mulieris, caput diaboli contrituro, requisita. Palam hoc est Joh. V. 27. *Et potestatem ei (Filio) dedit (Deus Pater) etiam judicium exercendis* *ὅτι*

gnum, legatos esse tuos intimæque admissionis ministros, apparere solent, splendente, quæ dignitatem & cum dignitate reverentiam conciliare apta, specie & forma amicti: hoc Filio hominis, quantus quantus erat, apparente nudo, inque similitudine carnis peccati inter homines versato. Sed non fuit hæc depressio longi temporis. Ea defuactum *honore & gloria, fulgore & majestate, universâ cæli luminaria,*
quo-

ὄτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστίν, quia est Filius hominis. Est idem ille *Enosch* & *Filius hominis*, qui a Deo Patre, ejus recordante, & visitante eum, ad summam euectus est gloriam, majestatem, & dignitatem *αυτοκρατορίας* regiam, in Elohim, angelos, opera manuum Dei, dominantem, omnia pedibus suis subjici videntem; qui alius non est, nisi Dominus noster & peccatoris Redemptor, *Θεανθρώπος*, *JESUS* Christus, isque solus, non qua nudus homo, sed qua *Θεανθρώπος*, spectatus. Quum in scena hac posteriore manifesto consideretur ut *Θεανθρώπος*, ut talis etiam in prioris scena exinanitionis & depressionis ut consideretur, par est. Quare in hac incongrue sola natura humana seorsim a natura divina in censum mittitur. Vocula admirationis & exaggerationis æque ad *Ben Adam*, ac ad *Enosch*, pertinet & referri debet, eadem significandi vi. Quumque ista, quam nos voculæ *ἰ* heic loci tribuendam existimamus, in *Ben Adam* melius quadret, quam exaggeratio vilitatis; eandem etiam potestatem ut *ἰ* exferat, voci *enosch* juncta, nexus utique orationis postulat. Secundum vulgarem explicationem sensus sententiæ hic esset: *Quid est in Enosch, Filio hominis, quod recorderis ejus, & visites eum? id est, nihil prorsus in eo est, quapropter recorderis ejus, eumque visites, juves, ex miseria eripias, gloria & majestate corones. Clamat contra hanc interpretationem, quæ de *JESU* patiente, humili, afflictio, depresso, indeque a Patre, in admirabili hoc negotio partes agente Judicis, ex omnibus istis calamitatibus, malis & afflictionibus, vindicatio, in vitam & lucem asserto, ad statum summæ gloriæ, potestatis & majestatis, euecto, & ad dextram ejus collocato, tractat Scriptura. Eadem Scriptura nomine in hisce afflictionibus, cruciatibus, depressionibus, causam demonstrat & pretium status subsecuti gloriosi? *Esai. LIII. 11. 12. Phil. II. 6. 7. 8. 9. &c.* Nonne Deus, maximi ipsum fecisse *Enoschi*, Filii hominis, perpeffione: & plagas, laculenter & abunde ostendit, maxima & summa, quæ dari eui cogitari potest, ea: compensans gloria?*

quorum decus magnificum & vibrans modo demirabar, innarrabiliter superante, in signum & argumentum Dominatus in omnia opera manuum tuarum ei traditi.

§. XXXIV. Persona divina, ut propius accedamus ad scopum, ad quem facta modo digressio etymologica collineat, Persona divina, inquam, quæ inde ab incunabulis mundi visibili in forma hominibus apparuit, communibus Theologorum suffragiis quum fuerit secunda Divinitatis Persona, Filius Dei, *Angeli* idcirco seu *Legati Dei*, *Angeli* quoque *faciei Dei*, *Angeli fæderis*, nominibus insignitus: fateamur, necesse est, Filium quoque Dei fuisse, cui primitus datum nomen *Elohim*. Quumque palam sit, eandem divinam Personam Universi fuisse Creatorem, ipsa res clamat, esse eandem illam divinam Personam, quæ in historia creationis hoc constanter nomen gerit.

Gradum porro facimus. Cum $\tau\omega$ אלה intime conjunctum, exque communi stirpe enatum, thema לוח, vi transitiva sonans *fecit micare*, diserte, ut supra visum, de creatione Numinis usurpatur: *micare*, *promicare*, *splendere*, *exsplendere*, *fecit Deus* creaturas. Derivata, in lingua Arabica sub אלה obvia, comprobant, significatum *splendendi* quoque in אלה resedisse. Nihil proclivius, nihil etiam usitatus in Linguis Orientalibus, quam Verba, quæ in una specie conjugationis sunt *intransitiva*, illico in altera potestatem *transitivam* induere. Qua ratione אלה æque facile & æque commode de Deo ut *Creatore* Universi potuisset adhiberi. Atque reapse etiam אלה comparet in significatione *transitiva* Conjug. IV. quæ in lingua Arabum ex verbis *intransitivis* facit *transitiva*. *Golius* vim, quam verbum אלה in hac forma adscivit; exponit per *juvit*, *liberavit*, *tutatus est*. Primigenia notio, quæ est *tremuit*, significatu transitivo, *fecit tremere*, *tremefecit*, hic sane non quadrat: utique vero, *fecit micare*, *nitere*, *splendere*, q. d. *fecit remdescere*, *nitere*, *animum*, *vultum*, gaudio, lætitia, hilaritate, *ex ma-*

Nomen *Elohim* primitus datum *Filio Dei* Universi & hominis *Creatori*.

In אלה themate nominis *Elohim* demonstratur virtus *splendendi*. Quæ potestate *transitiva* in *Eloah* præbere potuit

Cum *Creatorem*.

his tristibus eripiendo, juvando, liberando, contra hostes tutando: in oppositione tristitiæ & mœroris, qui imagine caliginis, tenebrarum, squaloris, solet representari. Lingua Latina hic utitur insigni Verbo, quod est *Recreare*, q. d. *denuo creare*, quod in *liberationibus* ex miseriis, calamitatibus, angustiis, *adjumentisque*, quibus alicui levamentum, consolatio, gaudium, adfertur, frequentatur. Quocum nostrum $\eta\lambda\lambda\epsilon$ in Conjugat. IV. non inepte contuleris.

Tam Libe-
ratorum.

Si vero quis tergiversetur, Creatorem Universi agnoscere in nomine *Elohim*: attamen vim, *Auxiliatorem, Servatorem, Liberatorem*, consignantem, non difficulter, puto, obtinebit. Quod sufficit, ad Personam divinam, ad cujus imaginem & similitudinem primus homo conditus fuit, signate demonstrandam, inque opere hoc Creatorem hominis ut futurum ejus Liberatorem in potestate nominis *Elohim* recognoscendum.

Versus 3. &
9. prologi
Evangelii
Joannis ex-
citantur,

§. XXXV. In prologo Evangelii Joannis, ad veram & æternam Jesu Christi Divinitatem adstruendam comparato, & ex altiore meditatione profecto, *Versus tertius* & *nonus* nostram adlectant attentionem.

Ev αρχη inquit *versu primo* Evangelista, *In principio erat Verbum*. Non dubito (27) *το Ev αρχη* referendum esse ad Decreta divina, quæ operum Dei sunt *principium*, & Joannem existimo, hæc scribentem, locum Prov. VIII. 23. quem LXX. verterunt *πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐδεμιώσατο με, ἢ ἀρχῆν πρὸ τοῦ τῆν γῆν ποιῆσαι*, ob oculos habuisse. Unde a significari, quem *το Ev αρχη* hoc in Contextu manifeste exserit, creationis actum antevertens, quia additur, *πρὸ τοῦ τῆν γῆν ποιῆσαι*, non discessisse Evangelistam, recte intuleris. Qui ergo enuntiatione hac absolutam *τῆς Λογῆς* æterni-

(27) Conf. sis, *Symbola* meas in tria prima Capita Evangelii Joannis, A. 1746, foras datas.

nitatem argumento, ex Scriptura veteris Testamenti petito, adstruit atque evincit.

Et Verbum erat apud Deum. Existens & subsistens in Patre nexu naturali, essentiali, necessario, æterno, eandem numero ex, in, & cum Patre participans essentiam, proprius, naturalis, unigenitus, Dei Filius, Vir Socius Dei & Deo proximus Zach. XIII. 7. Vir מַלְאָךְ Zach. VI. 12, *Germen Jehovah* Jes. IV. 2. inter quem & Jehovah Factum initum de procuranda hominibus peccatoribus pace & salute. Filius unigenitus, qui ab omni æternitate erat in *sinu Patris* Verſu 18. יְהוָה אֱלֹהֵינוּ nutritus apud Patrem, arctissima firmissimaque adstrictione & iligatione quasi, secundum primigeniam potestatem thematis לְיָמֵינוּ, ei nexus Prov. VIII. 30. אֲנִי אֶשְׁכֵּן בְּיָמָיו, possidet me, inquit Verſu 22, *principium viae suae* ante molitiones ejus *inde usque*, id est, ab omni æternitate. Notetur vis thematis אֲנִי, quod valet *tanquam peculum eximie carum vel acquirere vel possidere.* In *Jobolis generatione & possessione* usurpatur etiam Gen. IV. 1. & Deut. XXXII. 8. quod potestatem, phrasi, *וְאֵת הַכֶּסֶף* τοῦ Θεοῦ, jam datam, stabilis.

Et erat illud Verbum Deus, summus æque & æternus Deus ac Pater, a quo & in quo existentiae & subsistentiae suae necessarium, essentialia & æternum, habet fundum & principium.

Verſu secundo: *Αὐτός hic,* scilicet Deus & Λόγος, & qua Deus & Λόγος, *in principio erat apud Deum.* Intellige idem, cujus Verſu primo facta mentio, viarum & operum Dei principium, in quorum facta in æterno decreto, definitione ac προῶν, præsentem non tantum harumque molitionum intime conscium, sed participem etiam & consortem, fuisse Eum, in eisque præstituendis delineandisque, & qua Deum & Λόγος, socias habuisse partes, hæc thesis edocet. In hoc viarum Dei initio Filius, sub-

stantialis Sapientia, demandante Patre, suscepit opus liberationis seu restitutionis lapsi hominis, cui opus creationis & conservacionis mundi, & speciatim generis humani, erat subordinatum. Unde secundum communem dispositionem *omnia di avrs*, per Deum *Aoyov*, facta sunt, nulla re excepta, & *sine eo nihil factum est*, quod factum est. Quod Gnosticorum deliriis oppositum.

Versus tertii
explicatio.

Versu tertio: *In ipso erat vita, & vita erat lux hominum.* Putem, hoc comma describere primi generis humani parentis creationem, ita ut initia gratiæ, lapsu factæ, complectatur. *In ipso*, nimirum Deo *Aoyov*, erat *vita*. Quemadmodum existentia & omnis realitas ad *vs Aoyov*, qua Dei, pertinebat essentiam: ita, quoniam essentia rerum sunt æternæ & necessariæ, & istam oportet esse æternam & absolute necessariam; ut contradictio esset, Ens tale, in cuius essentia continetur existentia, non existere. Hujuscemodi necessariæ existentia fundamentum est & esse tantum potest compræsentia realitatis seu perfectionis omnis in gradu absolute summo, id est, realitatis & perfectionis omnis, quæ actu adest, sine limitatione & negatione. Aperta contradictio est, Ens, omnem actu habens realitatem & perfectionem sine limitatione & negatione, non item habere actu perfectionem existentia. Ubi actus & actuositas est ex proprio principio, ibi est vita: & mera vita, ubi omnis realitas est actus, & quidquid adesse potest, non potentia, sed actu, adest. Ubi potentia est sine limitatione & negatione, & hæc actus est, sive actu se exerens; ibi est potentia creans, essentiis compossibilibus existentiam largiens. Videmus itaque, in *Vita Aoyov*, qua Dei, rationem haberi creationis mundi, creationis item hominis, in systemate mundi, ut fini Dei respondere possit, necessario contenti. *In Ipso* ergo erat *Vita*, principium & fons vitæ propriæ, principium & fons entium aliorum, præter ipsum existentium, principium & fons

existentis in mundo hominis. *Et hac Vita erat Lux hominum.* Ex potestate, quam nomini *Elohim* vindicamus, *Lux hominum* posset dici *Elohim Adam*, splendere faciens Adamum, & voce Adam collective sumta, faciens splendere homines, quod idem esset, ac *lux hominum*. Deinceps demonstrabimus, nomen *Adam* sensu hoc colectivo usurpari, & per *homines* non inconvenienter reddi. Unde vix dubito, Evangelistam nostrum ansam emblematis *lucis*, cum applicatione ad hominis creationem, ex nomine *Elohim*, quem historia creationis ut hominis creatorem introducit, arripuisse. Erat vero infinita perfectio & actu se exferens potentia Dei *Aoyz*, vocantis ea, quæ non sunt, ut sint Rom. IV. 17. *Lux* primi hominis, *Adami*. Vel hoc sensu: Erat causa lucis vitæ hominis, (*vitam* nominari *lucem*, nulli non cognatum) vel, erat causa lucis, in primo homine splendentis, tum interne in mente, tum externe in ipso corpore: causa hujus utriusque lucis & efficiens & exemplaris; siquidem diserte memoratur, *ad imaginem secundum similitudinem Elohim* conditum esse primum hominem. Explicatio nostra in Deo Creatore utriusque lucis in homine primo causam, tum efficientem, tum exemplarem, demonstrat. Primus homo, *Adamus*, a Deo creatus est, ut semen, fator & stirps esset, ex qua universum genus nasceretur hominum: unde in ipso & cum ipso creati possunt censeri omnes: Quæ causa est, quare, quod de Adamo dicitur, generatim de hominibus prædicetur. Consideratio ista non caret exemplis: *Jam vero Jehovah, pater noster* (*Elohim noster*; Conf. Num. XVI. 22. XXVII. 16. coll. cum Heb. XII. 9.) *es, nos lutum sumus: tu vero factor noster es, & opus manus tuæ sumus omnes*, Esai. LXIV. 12. Conf. Versum seq. 13. Ne effervescas Jehovah quam plurimum, neque in æternum recorderis iniquitatis: en in tuere, quæsumus, *nos omnes sumus populus tuus*; quod palam se refert ad nomen *Elohim*. Perrexit Creator *Elohim*.

him & lux esse *Adami*, quum is defecisset a Deo: demonstravit se ei, ex luce in tenebras delapso, *Jehovah Elobim* ut permanentem & subsistentem lucem: consilium & testamentum gratiæ tamquam *Λογος* & interpretis voluntatis divini ei aperuit, se Liberatorem obtulit, promisit, præstitit. En novam *Lucem*, quæ, tunc a misericorde & fideli *Jehovah Elobim* exorta, deinceps variis modis lucere perrexit in tenebris, ad homines ad Deum ducendos, partim disertio Verbo suo, gratia sua illuminante, sanctificante, beante, partim divitiis longanimitatis, patientiæ, benignitatis, esse apud Deum Consilium gratiæ, esse pacificatorem & liberatorem, testificantibus.

Versu quinto: *Lux ea lucet in tenebris: Sed tenebræ eam non comprehenderunt*, eam non agnoverunt Versu 10. (28)

Explicatio
Versus No-
vi.

Pergamus ad *Versum nonum*, quem iidem lustrare constituimus: contextu, ut antea, faciem præferente. VI. 6. 7. 8. *Exstitit homo, missus a Deo, cui nomen Joannes: is venit ad dandum testimonium, ut testaretur de illa Luce, de Jehovah Elobim, peccatoris Liberatore & Salvatore, in pristinumque lucis statum Restitutore: ut omnes in eum crederent. Non erat ille Lux illa, sed missus fuit, ut testaretur de illa Luce. Versu nono: Hic erat φως το αληθινον, lux vera, quæ illuminat omnem hominem, qui in mundum venit.*

Doctores veritatis possunt iidem lux nominari, & nominantur etiam, & quoque *Joannes*. Ille, inquit Servator, erat lucerna ardens & lucens: vos autem voluistis ad momentum exsultare ejus luce: sed non sunt ipsa lux, non sunt lucis saluiferæ origo, & causa illa ipsa: hoc sensu vera Lux est & esse tantum potest is, qui est in hominibus, quotquot nascuntur, omnibus lucis vitæ causa & auctor, *Jehovah Elobim*, hominis formator. *Factores tui sunt mariti tui, Jehovah Deus exercituum Esai. LIV. 5.* Et hoc ipsum docere intendit Evangelista, *Versu nono.*

(28) Vid. *Symbola* in Evangelium Joannis Vers. quartus & quintus.

nono. Auctor Epistolæ ad Hebræos ea, quæ non existunt,
 nomine *μη φαινόμενων*, non apparentium, proprie, non lu-
 centium, proponit, & quæ existunt, *βλεπομένα*, ea, quæ
 videntur, nominat. Secundum hanc ideam *φωτίζειν*, illu-
 minare, hominem significare potest, facere, ut homo exi-
 stat, appareat, in lucem prodeat: si interpretari velis vi-
 tæ lucem dare, per me licet, nec repugno: sententiæ in-
 tellectus ad idem recidet. Omnem hominem *φωτίζειν*
 notare potest, causam esse existentiae vel etiam lucis vi-
 tæ omnium hominum. Profecto is tantummodo potest
 esse hominis peccatoris Liberator, vitæ, lucis, imaginis,
 peccato amissæ, reparator & parens, qui hominis est crea-
 tor, omnibus dare potuit & dat hominibus existentiam,
 vitæ lucem & usuram. Non minor ad illud quam hoc
 efficiendum requiritur potentia. Solus ille Deus, qui lu-
 cem iussit existere e tenebris, potest illuminare oculos
 cæci peccatoris, ut in luce Dei videat lucem & vivat.
φωτίζειν, illuminare, *παντα ανθρωπων*, significare etiam
 posset, toti homini, qua corpus & animam, dare existen-
 tiam & vitam. A parentibus suo modo nascitur libero-
 rum corpus: at anima *εμισως* venit a Deo, qui eam creat
in medio illius Zachar. XII. 1. Eccles. XII. 9. Priorem sen-
 sum qui volent amplecti, in eoque acquiescere, illi me non
 habebunt repugnantem: interim posteriorem non putem
 ego seponendum, hanc ob rationem, quod doctrinam ex-
 hibeat, nugis directa fronte oppositam Gnosticorum, mate-
 riale corpus humanum a Deo lucis creatum esse & pro-
 duci, adeoque totum hominem ab eo ortum habere suum,
 negantium. Quæ causa facit, ut credam, Evangelistam
 de industria ad utrumque sensum accommodare voluisse
 orationis suæ structuram, & utrumque lectoribus Evangelii
 sui insinuare. Character certe veræ lucis, mentem illumi-
 nare & sanctificare valentis, in eo lucet, qui omni & toti
 homi-

homini vivere suum, moveri & esse, largitur, qui *pater spirituum omnis carnis* est. Quis dubitare potest, posse eum spiritum hominis refringere pro lubitu suo & reformare, qui eum creavit? Posse eum intellectum illuminare, voluntatem sanctificare, totamque mentem sibi & imperio lucis subicere, qui intellectum & voluntatem nutu voluntatis suæ dedit?

Verba, *ερχομενον εις τον κοσμον*, qui in mundum venit, a nonnullis referri ad remotius prædicatum, *φως αληθινον*, lux vera, hoc modo: ille est vera lux, quæ omnem hominem seu omnes homines illuminat *in mundum veniens*, id est, is est lux vera, qui, in mundum veniens, illuminat omnes homines. An ergo Verbum substantiale, JESUS Christus, quum in mundum venit, illuminavit omnes homines? Dicis: voluit illuminare. Sed an non item ex sensu tuo illuminare voluit omnes homines, antequam veniret in mundum? Restrictiones, quas de illuminatione *λογος* facere placuerit post ejus adventum in mundum, eadem consieri poterunt in illuminatione ejus, quæ ante eum obtinuit, & *versu quinto* luxisse dicitur in tenebris. An non & doctores homines volunt & optant, ut omnes illuminentur homines? An non idem volebat Joannes? Ubi ergo character ille, qui a Joanne *τον λογος* hanc in partem distinguat? qui veræ Lucis notam, in nullo alio doctore reperiendam, demonstret? Quam parum hoc implet ideam excellentis cujusdam, fortis & veræ, lucis, cujus scilicet vis in conatu illuminandi subsistit, in eoque quasi emoritur, & penetrare connitens reprimitur atque extinguitur! *Illuminare* dicitur *omnem hominem in mundum veniens*: An id erit, *vult illuminare*, at non illuminat? Idem illuminationis actus an non ad omnem sine exceptione & distinctione hominem extenditur? At quosdam sane secundum hanc interpretationem actu illuminat: an ergo illu-

illu-

illuminare & non actu illuminare? Ex explicatione nostra omnem Lux hæc sine exceptione illuminat hominem, illuminat eum omni tempore: quem puto veræ, divinæ, perfectissimæ, lucis esse insignitissimum eminentissimumque characterem. Quæ adhæc cogit necessitas, ut verba, *ερχομενον εις τον κοσμον*, eum remotiore construas prædicato, quam in nexu cum proximè præcedentibus, *παντα ανθρωπων*, relicta bonum fundant sensum, de quo mox. Ad quod accedit, *versu nono* primum de adventu *τε Λογυ* in mundum Joannis Orationem incipere.

At dicis, in vocibus, *παντα ανθρωπων*, *ομινην hominem*, id jam contineri, adeoque superfluum eum facere hæc orationis partem, qui *ερχομενον εις τον κοσμον* cum *παντα ανθρωπων* copulet. Sed quis ignorat, infinitas dari consimiles huic nostræ constructiones? quæ ergo horum iudicio superflua continebunt & censuram merebuntur. Quem fugit, læpissime addi subjectis vel prædicatis nonnulla, ad complendam rotundandamque sententiam? Verum mitto hæc, & nego, verba ista, si ea cum *παντα ανθρωπων* conjuncta maneant, esse superflua: uti superfluum non erit, si quis diceret: Hæc est vera lux, quæ omnes, quotquot nascuntur, homines, illuminat. Planius; Characterem signantissimum *vera Lucis*, Patris luminum, *hoc commate* expingere volebat Joannes, quem in eo lucere ait, quod in lucem prodire faciat vel vitæ luce donet omnem hominem: utque tota hominum universitas jam inde a partu, immo jam inde a prima generis humani origine, lectori in mentem veniat illico, neque circa mentem ipsius vel tantillum temporis obhæreat, neque de alia, quam de luce vitæ, in quam omnes veniunt, qua omnes fruuntur, homines, cogitet, subjungit, *ερχομενον εις τον κοσμον*, qui in hunc mundum venit, id est, quotquot unquam nati
 T
 fus.

fuerunt, nascuntur, & nascentur unquam. Viden' nequam superfluum esse, quod hisce Interpretibus superfluum videbatur; & eos ad verum sententiæ hujus intellectum ducere debuisset, & potuisset etiam, nisi verba ista e compage sua divulsam & cum luce copulatum ivissent: Potest & etiamnum, si luxare desinant contextum, e devio itinere in rectam viam reducere. Sentisne, verba ista jam non tantum non esse superflua, sed addi etiam ad πάντα ἀνθρώπων fere necessum fuisse?

Nec, si πάντα ἀνθρώπων verteris per totum hominem; τὸ ἐρχομενον εἰς τὸν κόσμον foret superfluum: doceret enim, contra impias Gnosticorum impotentissimæ imaginationis fabricas, qua partem etiam istam, quæ cernitur, in mundum venire hominem, id est, qua corpus materiale, Dei lucis esse opificium.

Ex dictis patescit, differentes esse doctrinas, quæ hoc commate & supra commate quarto insinuantur. (29)

§. XXXVI.

Commentatio recentata, qua Ver- sus 13. congruentius a- eumini & di- ctionibus E- vangelistæ explanatur, quam ab ali- is factum.

Inconveni- tia expositio- num ab Erudi- tis in medi- am datarum & probata- rum cum maxime.

(29) De ceteris hujus prologi sententiis mentem meam exposui in prædictis Symbolis. Ex quibus mihi liceat unicam commentatiunculam, in Ver- sum decimum tertium scriptam, certa de causa huc translata, Erudito- rum oculis & disquisitioni publicæ subjicere. Parum congruæ sunt, quas proferri, & laudari etiam, video, expositiones, &, meo quidem judicio, acumine Apostoli non satis dignæ. En commatis verba: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex vo- luntate viri, sed ex Deo nati sunt. Quibus dictiones, non ex sanguinibus, neque ex voluntate viri, sunt equipollentes, iisque nihil significatur aliud, quam quod jam in prima, ex sanguinibus, continetur, naturalis scilicet ex hominibus generatio, illis obstat εἰς; hinc & hinc ad θελημα σαρκος & ad θελημα ἀνδρος positum, quod duo distincta, sed non idem, alio nomine signatum, removet. Debent ergo saltem voluntas carnis & voluntas viri aliud, & aliud, non idem, signare: etiamsi constructio patetetur, ut cum prima dictione, ex sanguinibus, in unum conspirarent: sed non minus ea permittit, ut voluntas carnis & voluntas viri distincti etiam quid a sanguinibus denotent. Ne dicam, sequentia duo additamenta prin- cipe

§. XXXVI. Interim, ut redeamus in viam, nec usus Potestate *in-*
omitti debet significationis *intransitiva*: ex qua מלך no- *transitiva* E-
tare potuit *splendentem*; forma substantiva *splendorem*. Sol- *loah* notare
certe & *luna*, quod supra quoque tactum, hoc apud Ara- *potest splen-*
bes nomine designantur: cujus denominationis rationem *dentem, sub-*
naturalem, expromptam, obviam, in præcellente eorum *stantive*
naturali offer- *splendorem.*

T 2

offer-

cipem thesū, quam explanare deberent, obscurare magis, quam expli-
care & elucidare: quod a fine extensionum, primariæ thesi additarum,
alienum. Sufficeret omnino, si Evangelista solum scripsisset, *ex sangui-*
nibus, & additamenta prorsus omisisset, si eis nihil aliud docere voluisset,
οὐκ ἐξ αἱμάτων omnem generationem naturalem excludit, quæcunque
illa sit, quæ sit ex coitu viri cum femina, adeoque etiam generationem
carnalem excludit ex *Abrahamo*, quæ Judæi cum maxime gloriabantur:
& hinc probabile est, Evangelistam *αἷμα* in numero posuisse plurali.
Immo omnis actus, qui junctus erat cum effusione sanguinis, & præ
causâ qualcunque juris ac potestatis filiorum, inde adimplenda, poterat
haberi, ut *circumcisio, sacrificia*, simul excluduntur & rejiciuntur. Eo
minus audiendi sunt, qui *voluntatem carnis* ad *circumcisionem* trahunt,
quæ certe non in Judæi voluntate erat posita, sed ex severissima devoti-
onis debebat fieri vinculo. Et an credibile est, Apostolum de coitu
matrimoniali, & partu, ex eo nato, porro, sine ulla necessitate, voluisse
loqui, quod apertum sit, eum *ex sanguine* & femine fieri parentum.
Et quis erat, qui ex tali communi & vulgari copula *ἐξ ὁσίων υἱὸν*
ὄρε καλισθαῖ derivatum ibat? Verum est, *carnem* & *sanguinem*,
si junctim collocentur, signare unum subjectum: sed an idem facient;
si divisim ponantur & unam ab altero ita distinguatur, ut de uno quid,
quod in aliud non quadrat, prædicetur? An congruè dictum esset, non
ex voluntate sanguinum? si voluntas viri hic notaret voluntatem mariti;
nil convenientius esset, quam ut *voluntas carnis* connotaret voluntatem
uxoris, quæ caro est de carne viri: sed tunc revolveremur ad copulam
matrimoniale, & partum, qui sit ex sanguinibus, sed qui jam in prima
thesi, non *ex sanguinibus*, fuerat exclusus, ex eaque per se, nulla etiam coi-
zus subjecta mentione, a nullo non intelligebatur. Denique an accurate di-
ctum esset, partum a voluntate carnis & viri pendere? Si *Ὁ δὲ ληµα* eum
doctissimo Beza vertis per *libidinem*, ea, ad copulam matrimoniale ad-
plicata, enunciationem Apostoli obscurabit magis quam illustrabit: quod
idem fieret; si quis *ὄρε* *ex voluntate carnis* ad *Hagarem* ex eaque partum
Ismael.

offerri splendore. quis dubitabit? Nihil ergo impedit, quin Deus κατ' ἑξοχῆν ἠγλῆ, *splendens*, aut potius *splendor*, nominatus fuerit, eodem plane jure & sensu, quo idem Deus, & speciatim JESUS CHRISTUS, ut *Lux* introducitur, & hoc nomine insignitur, *mera, mera, lux, in qua non sunt tenebræ* 1 Joh. I. 5. PL. XXVII. 1. Esai. X. 17. Joh. I.

4.

Ipsa com-
mentatio
proponitur,

Ismaëlem, & alterum ex voluntate viri ad Saram ex eaque progenitum *Isaacum* adplicatum iret. *Voluntas viri* alius est *υιοθεσια*, *adoptio*. Sed an Spiritus sanctus hic rejiciet, quod alias, veluti Eph. I. 5. adoptat ipse, & in usus suos, ad statum eorum, quos Deus jure filiorum donat, describendum, adhibet? Ne dicam, quod *voluntas*, & *Carni* & *Viro* tributa, vinculum aliquod indicet & relationem, in qua *caro* ut mater seu uxor, & *vir* ut pater, seu maritus, consideratur: ita, ut *caro* & *vir* sint quidem duo distincta subjecta, sed quæ arcto inter se nexu continentur, veluti mater & pater, uxor & maritus: Quod non æque habes in adoptionibus. Hæc, quæ ad commentationem meam spectant „*filiationis*, liceat in defectu aliarum vocum hac sine invidia uti, principio ac fundamento opponit Evangelista noster ficta principia, quibus „subnixi Judæi se Dei filios esse, vel, quod eodem recidit, se Deum si- „bi reconciliatum ac benevolum habere Patrem, putabant. Quin Evan- „gelistam principia ejusmodi, quæ in vere credentes non cadebant, & „ab admisso vero principio excludebantur, producere, statendum vi- „detur. Unde sequitur, ut neque *naturalis propagatio ex sanguine*, ne- „que *Adoptio*, quæ utique cum generatione ex Deo in eodem subjecto „una sedem capiunt, & capere possunt, huc advocari debeant. Neque „etiam ex propagatione naturali ex sanguine, in se spectata, aut ex ado- „ptione *filiationis* ad Deum relationem sibi quisquam arrogabit, ut id hic a „*Ioanne* moneri, prorsus supervacaneum fuisset.

„Verum principium ex doctrina Evangelistæ est *Fides in Nomen Fi- „lii Dei*, fundamentum justificationis complectens, cum productione „vitæ, in qua inest imago Vitæ divinæ: Hoc verum atque unicum *fi- „liationis* reconciliatæque gratiæ principium commenticiis Judæorum „principiis opponitur.

„Primum erat illud *αιματος*, *Sanguinum*; quatenus isti homines „fundamentum favoris Divini inter alia ab sanguine Patrum, *Abrahami* „inprimis, repetebant. Altas hoc præjudicium habuisse in animis Ju- „dæo-

4. 8. 9. VIII. 12. Omne id, cujus *lux* est emblema, in *splendorem* cum significationis etiam cumulo convenit. Quidquid in Deo est, præclarum est, illustre, splendidum, magnificentum, majestatis plenum, cultu, veneratione, admiratione, dignum. Quantus, quantus, nil, nisi *splendor & fulgor*, est. Quidquid etiam titulum meretur *splendoris*, aut

T 3

cujus

„dzorum radices, Historia Evangelica nos docet, Luc. XVI. 24. Matth.
 „III. 9. *Et ne putate, vobis dicendum apud vos ipsos, patrem habemus*
 „*Abrahamum. Dico enim vobis, Deum posse etiam ex lapidibus istis ex-*
 „*citare liberos Abrahamo. Qui locus supponit, magnam gratiæ Divi-*
 „*næ, sibi conciliatæ, aut etiam conciliandæ, spem in propagatione ab*
 „*Abrahamo Judæos habuisse. (Conf. Esai. LXIII. 16.)*

„Alterum fundamentum erat *Θελµα σαρκος*, huicque conne-
 „xum *Θελµα ανδρος*. Hæc duo principia intime conjuncta esse,
 „& relationem proximam ad se invicem habere, arbitror, propterea
 „quod eisdem prorsus locutionibus, subjecti tantum mutato nomine,
 „efferantur. Per *Θελµα σαρκος* notari putem præjudicium Ju-
 „dzorum, quo se putabant filios Dei esse, ideo, quod *Ecclesiam Judæi-*
 „*cam* habent, *macrem* habent, Ecclesiam, inquam, Judaicam, quatenus in *carne*,
 „id est, in præceptis *carnalibus*, per ministerium Moysi a Deo acceptis,
 „gloriabatur, & certe a scopo eorum aberrans nil nisi *caro* erat. Qua-
 „tenus autem horum præceptorum observationi, ut lactens matri suæ
 „adhæret, adhærebant *Abramida*, se jus filiorum Dei per hoc ipsum ha-
 „bere, sibi persuadebant.

„Per *Θελµα ανδρος* Dispositiones *arbitrarias* intellexerim eo-
 „rum, qui se quasi pro *Viro* ac *Marito* hujus Ecclesiæ gerebant, quales
 „erant *Seniores*; principes *Sacerdotes*, & *Doctores*, in hoc populo celebres,
 „qui legem Moysi quamplurimis placitis, de suo additis, circumvallaverant,
 „multasque superstitiones in Ecclesiam invexerant, ex quarum accurata
 „observatione aut neglectu de statu hominum, & gradibus amicitia
 „apud Deum, pronuntiabant, eosque, qui criminiis suis erant addi-
 „ctiores, in sinum quasi Dei reponebant. Vide Heb. XII. 9. Ubi ve-
 „nerandi isti Ecclesiæ Judaicæ Præsules ac Seniores disertis verbis ab
 „Apostolo *Patres carnis* appellatur. Hoc recte & magno cum judicio
 „appellatur *Θελµα σαρκος*, *Θελµα ανδρος*, quia hoc judi-
 „cium tum *Ecclesiæ Judaicæ*, tum *Præsectorum* ejus, suo ipsorum *arbi-*
 „*trio*, sua, & non Dei, *Voluntate*, unice nitebatur.

cujus *splendor* est & esse potest emblemata & signum, id omne in Eo continetur. Quidquid denique in rerum universitate reperitur, quod præditum est vel proprio vel improprio *splendore*, ad eum, ut originem & exemplar, se refert. Quemadmodum consimilem ob rationem Deus appellatur **שֵׁה**, *Nomen*, Deut. XXVIII. §8. a **שָׁה** *altius fuit*: quoniam Deus merum est *Nomen*. Quidquid in eo est, id universe & singulatim est *altum, excelsum, summa cum laude nominandum, gloriandum, prædicandum, celebrandum*: & quidquid *nomen, laudem, gloriam*, habet aut commeretur, in Eo junctim in *altissimo* dignitatis & honoris gradu invenitur.

Metonymice Eloah *Splendor* potuit nominari, qui cum splendore, in splendida specie, apparebat.

Per metonymiam item *Adjuncti pro Subjecto* is, qui cum splendore, in *splendida specie*, apparebat, inde recte sane & tropo non insueto **שֵׁה** *Splendor* potuit nominari. Quemadmodum illustre illud *Gloria Divina* symbolum, quo summi Numinis majestas suam quondam in Israele manifestabat & significabat præsentiam, *Columna* videlicet *nubis* & *ignis*, fulgentissimam præ se ferentis speciem, appellatur **כְּבוֹד יְהוָה** Exod. XVI. 7. 10. XXIV. 16. 17. XL. 34. Idemque hoc nomen ipsi quoque Deo datum Esai. LVIII. 8. coll. cum Cap. LII. 12. Esai. LX. 1.

Utraque potestas & *transitiva* & *intransitiva* in Eloah potest in censum venire. Dicitio **שֵׁה** *Elohim* explicata ex hoc adpectu

Creatoris hominis in *homine* *Ima-*

§. XXXVII. Eximius *Splendor* non tantum splendet ipse, sed *splendere* etiam & relucere facit alia. Possit itaque utraque notio, & *intransitiva*, & *transitiva*, in nomine divino **שֵׁה** in censum venire.

§. XXXVIII. Ex hoc adpectu **שֵׁה** ex proprietate, jam nunc indicata, erit *Imago* cum *Splendentis*, id est, divini Numinis, a *splendore* nomen adepti, tum *splendere facientis*, id est, Dei *Creatoris*, præcipue Dei *Liberatoris*, secundum ea, quæ antea prodita sunt, nec temere, ut quidem existimo, in medium allata.

Habes certe rationem, cur Scriptor historię creationis, quum jam memoravisset, Elohim creavisse hominem cum *Imagine* sua secundum similitudinem suam, idque *sufficere* omni-

omnino potuisset, subjungat, בְּעֵלֶם אֱלֹהִים בָּרָא אֶת־אָדָם *ginem arguit & cogitandam offere.*
cum imagine Elohim creavit eum Gen. I. 27. id nimirum
 agens, ut lectores ad עֵלֶם Elohim, Creatoris hominis, Fi-
 lii Dei, cujus modo facta mentio, animum sigillatim ad-
 vesterent, hancque imaginem (עֵלֶם) in hœmine, nisi in
 Elohim, Creatore, Filio Dei, quæsitum irent, neque de
 alia imagine, quam cujus exemplar prædictus Elohim,
 Adamum creans, præ se tulerat exhibueratque, hic cogi-
 tarent. Elohim, Filius Dei, & Spiritus Sanctus Adamum
 condiderunt *cum imagine sua secundum similitudinem suam*
 Gen. I. 27. ille corpus Adami suismet ipsius formavit ma-
 nibus, in eoque corporis à se assumpti expressit עֵלֶם, ima-
 ginem: per hunc natura spiritualis, נְשֵׁמַת חַיִּים, sanctita-
 tis moralis prædita ornamentis, formato inspirabatur cor-
 pori, דְּמוּת Elohim, specie scilicet lucida, qua assum-
 tum tunc a Creatore fulgebat corpus, actutum condecora-
 to. Redi ad §. VI. Ubi observatum, verba, *Faciamus,*
vel faciemus, hominem in, cum, imagine nostra secundum
similitudinem nostram, alloquium Filii Dei esse ad Spiritum
 Sanctum, spiritualis in homine naturæ & sanctitatis κατ'
 οὐνομοίαν causam. Hoc pacto Adamus in interno non
 tantum, sed externo quoque, homine & tzelem & demuth
 referebat Elohim, Creatoris sui, hoc modo ipsam illam cor-
 poris, in quo apparere olim constituerat, novum hominem
 conditurus, in primo homine, hominumque omnium stir-
 pe & capite, ad vivum exprimentis & representantis fi-
 guram. Quod quum animadversione dignissimum esset
 mysterium, quod nullus hominum cogitando potuisset ad-
 sequi unquam, Spiritus Sanctus commemorabilem hanc
 creationis hominis περιελασθη, pretiique maximi gemmam,
 ignorari nolens piis studiosisque altioris sapientiæ lectoribus,
 dictionis insolitæ, nec, si nihil, quod memoratu dignum,
 in recessu sinuque suo habeat reconditum, necessario, ad-
 dita.

ditamento, in sublimi quasi loco ponere eam instituit, & quodam quasi *Notabene* insignire, ut in eo oculos suos collocarent & defigerent historiam hanc evolventes & ad mysterii ducerentur cognitionem. Gen. V. 1. loco *betzelem Elobim creavit eum*, positum est *bidmuth Elobim fecit eum*: qua in constructione nomine *Elobim* eadem significatur persona, quæ in *betzelem Elobim* fuerat indicata. Et poterat sane utrumque secundum ea, quæ supra disputavimus & jam jamque tetigimus, ex rei dici veritate. Cur vero in Contextu Gen. V. 1. vocabulum *demuth* sit usurpatum, id supra reperitur enucleatum. Scopus Scriptoris, quem *Versus tertius* prodit, ut non scriberet *betzelem*, sed *bidmuth, Elobim*, postulabat. Vide supra §. XV. Interim ratio rarioris constructionis eadem, eademque persona utrobique per *Elobim* designatur. Redit loquutionis forma Gen. IX. 6. ut de emphasi, quæ formulæ huic hinc in Contextibus subest, perdoceamur, deque industria & consulto eam adhiberi, non dubitemus. Paulus Apostolus *bidmuth Elobim* exponit κατ' εἰκὼνα τῆς κτισαντος αὐτοῦ. Unde cernere datur, in hac certe sede & constructione τὸ *Elobim* notionem subesse *Creatoris hominis*. Utitur & Verbo κτισεν Apostolus in opere mysticæ creationis sive renovationis hominis per Jesum Christum describendo Eph. IV. 24. II. 10.

Gen. I. 29. per *betzelem Elobim* notari corporis, ab *Elobim, hominis Creatore*, tunc adsumti, imaginem, qua substantiam, formam & figuram, & verbis, *betzelem Elobim creavit eum*, cogitandum offerri mysterium, magnum sane & admirandum, repositum in futura Filii Dei eadem in corporis humani forma apparitione atque ἐσαρκωσι, jam modo observatum. Eundem dictioni, Gen. IX. 6. *betzelem Elobim fecit eum*, dandum esse respectum, qua causa, quove colore, negabitur; quum utrimque eadem non

non solum reperitur formula, sed ea etiam, quæ Gen. IX. 6. habetur, ex Gen. I. 27. aperte sit transsumta, &, quod præcipue animadvertendum, dictum ad modum explicata *causæ*, legi de non occidendo homine additæ, partes & munus ita expleat, ut nihil in ea, sive evidentiam, sive nervum & pondus, respicias, desideretur.

Recepta doctrina imaginem Dei in primo homine integro non ex persona, nomine *Elohim* insignita, Filio nimirum Dei, hominis Creatore, sed generatim ex natura Dei repetens, in istas, quas Spiritus sanctus hac, quam jam ob oculos habemus, loquutione repressum & præclusum ivit, dilabitur vagationes. Palam est, interpretationem nostram has ambages omittere, atque imaginem & similitudinem Dei in homine ad *Elohim*, Filium Dei, *hominis plasten*, insignite præcipueque referre. Et hoc ipsum num jure quodam meritoque hanc commendare debeat interpretationem, judicent integri rerum Arbitri, non, quod auctoritates dictant, præconceptæ receptæque opinionæ præcipiant, sed quod Veritas, indicesque & signiferi commonstrant Veritatis, unice sectantes.

§. XXXIX. Caput geneleos II. III. lapsi, destituti, hominis, apertique testamenti gratiæ, historiam produunt memoriæ. Restitutio recte intelligi non potest, nisi prius exponatur destitutio. Par ergo est, ut hanc propter illam cum maxime susceptam, credamus. Hac in scena Deus constanter nominibus *Jehovah Elohim* proponitur: quum in historia creationis, quæ repræsentatur *Capite primo*, solo nomine *Elohim* insigniatur. Non puto, hanc variationem seu additionem nominis *Jehovah* ad nomen *Elohim* in historia, hominis lapsi erectionem commemorante, factam esse sine causâ: præsertim quum constanter fiat per totam illam historiam; &, ubi ea desinit, desinat etiam hæc nomenclaturæ divinorum conjunctio, & in subsequente relatione cædis, ab improbo & nefario Caino, optimo atque innocenti

centi fratri, Abeli, illatæ, inque universo negotio cum bel-
lita ista gesto, Deus uno & solo nomine *Jehovah* designetur:
nomine *Elohim*, in effato *Eva* redeunte, de nato filio,
Abelis, ab impio Caino trucidati, succedaneo, sibi gratulan-
tantis, Gen. IV. 25.

Princeps
virens nomi-
nis *Jehovah*.

Jehovah est a radice יהוה fuit, existit, substitit. Proprie notat *fidere*, יָצַו , יָצַוְדָא , metonymice, esse, existere, & firmiorem suam *subsistentiam* retinere, Quod in liquida luce ponit & pervincit celeberrimus *Scultens* (30) Unde derivatum יהוה , fluctuantibus interpretum expositionibus obnoxium, nec certam sedem adeptum, de facie cognoscendum præbet & explanat tum de *vasta & insatiabili cupiditate*, ruente & *fidente in barathrum profundissimum*, tum de *moerore*, in quem *subseditur* tamquam in *barathrum*, unde *emergere* nequeat: exque hoc adpectu compluribus sacri Codicis locis genuinum suum decus induit. In *Subsistentia firma*, ex notione primaria *fidendi* enata, vim & pondus, quod in nomine *Jehovah* residet, demonstrat Vir in Literatura Orientali incomparabilis, qui, inquit, *per excellentiam* וְיָצַו , *subsistens*, suomet *nisu*, *nutu*, *pondere existentie* & וְיָצַוְדָא , *necessaria*, *æterna*, *infinite*. Sanam, subjungit, *Philosophiam & Theologiam non consulunt, qui ulterius nescio quibus subtilitatibus evehuntur; sublimiori isto volatu in Kabbalisticum chaos, ubi sine fine fiditur, semet præcipitantes.*

Convenien-
tia nominis
Elohim ad
Creatorem
universi &
speciatim
hominis ad
imaginem
secundum
similitudi-

Elohim ex proprietate, supra indicata, consignat *splendorem, splendere facientem*: Id quod *proprie & improprie* potest explicari. Utroque sensu gloriosus Creator hominis erat *Elohim*, qui *splendere eum faciebat* ad imaginem secundum similitudinem suam & in mente, & in mente, illi de splendore, quo ipse amictus apparebat, & huic de invisibili splendore & gloria perfectionum suarum imper-
tians:

(30) In Commentario in Proverbia Salomonis p. 35. seqq.

riens: ita, ut totus homo, & externus, & internus, referret *Elobim*, Creatoris sui, imaginem.

Homo, a Deo deficiens, lucem utramque, & cum ea Dei amiserat favorem. Verum enim vero decreverat Deus homini gratiam facere, eumque in pristinum lucis statum restituere: atque ita quemadmodum hominis *Elobim* fuerat in creatione, sic porro ejusdem *Elobim* esse volebat demonstratione gratiæ, idem, quod physica perfecerat creatio, effecturæ. Quo pacto Deus, non obtante lapsu, ut *persistentem, subsistentem, Elobim*, id est, ut *Jehovah Elobim* se homini præbebat. Petrus *πιστον πιστων, fidum, fidelem, Creatorem* nominat, 1 Pet. IV. 19. Quod idem est, ac *Jehovah Elobim*. Res ipsa verissima est. Nec video, quid veter, idem hoc junctis nominibus *Jehovah Elobim* in historia, ubi hujus maximæ rei & revelatio & initia præsentantur. insinuari.

§. XL. Nomen *Elobim* inde a primordiis mundi magno in pretio & usu fuisse apud Numinis Cultores, inde claret, quod tempore *Enoschi* titulo *בני אלהים, Filiorum Elobim*, a Caini se familia distinxerint, Gen. IV. 26. In denominatione *Filiorum Elobim* respectum putem ad potestatem nominis *Elobim*, non quatenus Creatorem sensu physico denotabat, verum in relatione ad creationem mysticam, physica Universi & speciatim Hominis creatione ac formatione adumbratam: ex qua idem ille *Elobim* futurus erat hominis, quem creaverat ad sui imaginem, secundum similitudinem suam, sed quem mali malevolique genii fraudulentia dedecoraverat, scedaverat, corruperat, everteterat, Reparator, Liberator, Assertor, Tutor, Sol, Clypeus, Pater, iterum creans, regnans, hominem ad imaginem suam. Quos enim Deus præagnovit, eos etiam prædestinavit, ut conformes fiant imagini Filii sui, Rom. VIII. 29. Profitebantur ergo, se filios, semen, esse Seminis mulieris, caput serpentis contrituri; adeoque ad illud se perti-

V 2

nere

nem suam designandum.

Convenientia nominum *Jehovah Elobim* in prima gratiæ lapsus hominibus factæ & annunciatæ scena.

Nomen *Elobim* inde a primordiis mundi apud cultores Numinis magno in pretio & usu fuit.

Quod denominatio *Sethitarum*, inde petita, docet.

nere Semen, inter quod & semen serpentis Jehovah Elohim declaraverat se positurum inimicitiam. Unde patet, scit, אדם בני אדם filios Adam seu hominum, quod Cainitis datum, in hac oppositione designare homines, qui non sunt בני אלהים, Filii Elobim, qui non pertinent ad Semen mulieris, caput serpentis contriturum, qui ergo pertinent ad Semen serpentis, mollius, vitam tantum habentes & exferentes animalem, Spiritu illuminante & regenerante destituti, Apostolo Juda dicti ψυχμοι, πνευμα μη εχοντες. Appellatio ista Filiorum Elobim initium cepit tempore Enoschi, invalescente, ut videtur, Cainitarum improbitate, Seminique sancto magis, quam antea, molestiam facessente. Quod ansam dare potuit, ut Sethus filium, tunc editum in lucem, nominaret אנוש, Enosch, in cuius themate residet vis quatiendi, quatiendo infringendi ad maximam usque debilitatem. Unde homini ob perpetuas calamitates, miserias, ægrotudines, afflictationes, quibus concutitur, frangitur & conficitur tandem, morbis item & plagis desperatis, mortiferis, nec non talibus morbis & plagis adfectis, id nomen inditum. Contextus historiarum habet: או הוה לקרוא בשם יהוה. Tunc coeptum est vocari de nomine Jehovah. Quemadmodum verba hæc a probatissimis Interpretibus vertuntur, & verti omnino debent. Conf. XLIV. 5.

Qua via vocati de nomine Jehovah Filii Elobim nominati.

Animadversionem meretur, quod citato in loco Gen. IV. 26. narretur, tempore Enoschi Sethitas denominari coeptos de nomine Jehovah, & tamen historia habeat, eos non בני יהוה, Filios Jehovah, sed בני אלהים, Filios Elobim, nominatos esse. Duplice via hæc expediri potest difficultas. Una est; si verba אנוש הוה בשם יהוה veritas de nomine Jehovah: quod certe inde ab incunabulis mundi fuit nomen Elobim, quo, vel solo, vel nomini Jehovah juncto, supremum Numen insignitum cum maxime, a populoque suo celebratum, comperitur. Altera via in conciso porrigitur stilo,

stilo, qui permittit, ut *Jehovah* ponatur pro integro titulo *Jehovah Elobim*, in præcedente historia frequentato. Id in amplis titulis, pluribus constantibus aut nominibus aut circumscriptiõibus, frequens & usitatum. Ita ex. gr. *Arca fœderis* mox nominatur *Arca Elobim*, mox *Arca Jehovah*, mox *Arca ארון Dei nostri*, mox *Arca Elobim Jehovah*, qui *Cherubinis insidet*, mox *Arca Jehovah, Dei Israël*, mox *Arca fœderis Elobim*, mox *Arca fœderis*, omisso nomine *Elobim* vel *Jehovah*, mox solo vocabulo *Arca*, nomine vel *Elobim*, vel *Jehovah*, vel *fœderis*, quod alias voci *Arca* adjungebatur, subaudito. Idem in nominatione Numinis factitatum. *Jehovah Zebaoth* consentiunt omnes dici pro *Jehovah Elobim*, vel *Elobe Zebaoth*. Dantur complures Contextus, in quibus series requirit orationis, ut stilo conciso *Jehovah* pro *Jehovah Elobim*, *Elobim Israël*, vel alia cum adjectione, positum, vel hoc in illo comprehensum, statuamus. Quod insignis potest esse usus in evolvenda amplitudine nominis *Jehovah* permultis in locis.

§. XLI. Ex dictis explicanda vis loquutionis, qua Deus se *hominis* alicujus aut *populi Elobim* aut esse, aut futurum esse, declarat. Idem est, ac si diceret, se eorum fore aut esse Patrem, Liberatorem, Restitutorem, Lucem, gratia creatrice illuminante, regenerante, vivificante, justificante, sanctificante, tutante, glorificante denique transformanteque in eandem, quam ipse gerit, imaginem ex gloria in gloriam.

§. XLII. Dubio sane exemptum est, cum titulo *Elobim* connecti opera & beneficia *Gratiae*, peccatorem redimentis, illuminantis, justificantis, sanctificantis, defensantis, consummataque tandem & æterna salute beantis. Unde, qui gratiæ hujus fiunt participes, ejus auctorem, causam & largitorem, *Deum salutis*, *Deum salutis suæ*, nominant celebrantque Ps. XXIV. v. XXV. v. 22. LXXXV. v. LXXXIX. 9. LXII. 2. 3. 7. 8. XLIX. 16. L. 23. XXVII. 9.

Vis loquutionis qua Deus se *hominis* alicujus aut *populi Elobim* aut esse, aut futurum esse, declarat.

Sine dubio cum titulo *Elobim* connectuntur opera & beneficia gratiæ.

Ufus potestatis, nomini Elobim datus Pf. XLII. 12, XLIII. 5. *Quid dejicis te, anima mea, & quid perstrepsis in me? Spera in Deo (Elohim), nam adhuc celebraturus sum eum, omnimodam salutem faciei meae.* ואלהי ואלהי & Deum meum: qui scilicet faciem meam, conturbatam, mœrore obscuratam, luctu & squalore contractam & corrugatam, *elaxas*, (hæc proprietas est Verbi ופע, unde ופעוהו salus, proprie *laxitas*) gaudio & hilaritudine *nitere*, *splendere*, *facis*, & hoc pacto te ut *Elobim*, Deum, *meum*, ut *Lucem*, tenebras meas illuminantem, (Pf. XVIII. 29.) ut *Liberatorem meum*, *Defensorem*, *Servatorem*, *demonstras*.

Interior natura nominis Elobim gemino emblemata solis & scuti Pf. LXXXIV. 12. potuit dedisse ansam.

Psalmo LXXXIV. 12. *Jehovah Elobim Sol & scutum est, gratiam & gloriam dat Jehovah*, (pro Jehovah Elohim) *non cohibet bonum ab ambulatibus in integritate*. Anquirunt emblematum sacrorum explanatores, qua via factum, ut *Sol & Scutum* hic junctim & uno quasi halitu proponantur. Vis nominis *Elobim*, *splendorem* consignans, potestate transitiva, *facio splendere*, *illustro*, *illumino*, item *juvo*, *libero*, *tueor*, hoc est, *facio vultum*, *animum*, gaudio & lætitia *nitere* juvando, liberando, *tutando*, & *Solem* & *Scutum*, corpus a telis & sagittis tutans, potuit suppeditare.

Commemorabilis titulus ואלהים

Commemorabilis est titulus ואלהים, *Vir Dei* (Elohim), prophetis datus, eisdemque fere proprius 1 Sam. VII. 27. IX. 6. 1 Reg. XII. 22. XIII. 14. XVII. 18, 24. 2 Reg. I. 9. 10. 11. 12. 13. Jer. XXXV. 4. Jud. XIII. 6. 8. Ubi *Manoæ uxor* Angelum Jehovah, quem putabat prophetam esse, nominat ואלהים *Virum Elobim*. Ex potestate *splendendi*, usu transitivo *splendere faciendi*, *illuminandi*, quam themati nominis *Elobim* inesse, ante probavimus, ואלהים, *Vir Elobim*, notabit *virum*, *illuminantis* eum Dei. In revelationibus divinis & doctrinarum hominibus a Deo factis suggestionibus nil figura *illuminationis* usitatus. Unde dilucet, cur in denominatione prophetæ

pheta **וַיִּבֶן** cum *Elobim* potius, quam cum alio jungatur nomine divino. Paulo Apostolo est **ὁ τὸ Θεὸν ἀνδραποῦτος** 2 Tim. III. 17.

Notabilis est historia, quæ postremo in loco Jud. XIII. memoriae proditur: cujus intentior consideratio operæ promittit pretium. Apparet hic *Angelus Jehovah*, æternus æterni Dei Filius, *Manoah* & uxori ejus in forma humana virili, speciem præ se ferente majestatis eximiae, & hinc reverendam maxime: quod uxor *Manoah* disertis verbis significat vs. 6. Interim quum *Manoah* & uxor ejus existimarent, hominem prophetam esse hunc Virum, cui cibum quoque offerebat *Manoah*, abfuit certe a facie ejus notabilis splendor. Cetera decus habebant, in hominibus non facile obvium, ad reverentiam conciliandam comparatum. Dicitur hic Vir & Angelus Dei **מַפְלֵא** *mirabilia agens faciendo*. Participium **מַפְלֵא** est a radice **פלא** proprie *scidit, abscedit, separavit*: in Niphal *mirum, prodigiosum, admirabile*, fuit: in hiphil *mira, prodigiosa, admirabilia, fecit*, patravit, q. d. fecit talia, quæ *abscissa* sunt a communi naturæ ordine, a consueto agendi modo. Conspirat in eandem originem Latinum vocabulum *mirus* a **μεωω**, *divido, separo*, ex qua origine *mirus* est a communi naturæ lege aut ordine, ab ordinario cursu rerum, *divisus, separatus*. Dixerat Angelus *Jehovæ*, nomen suum esse **פלא** *Mirificus* Versu 18. Subditur Versu 19. *Quum Manoah assumens bœdum caprarum & ejus munus offerret*, id est, adduceret, *in rupem Jehovah*; tum is, Angelus videlicet *Jehovæ*, qui in actu sacro vice functus est Sacerdotis, *Manoah* & Uxore ejus spectatores tantum agentibus, **מַפְלֵא לעשות** *faciendo admirabilem se demonstravit*, id est, talia faciebat, ex quibus palam fiebat, reapse admirabilem eum & mirificum, a gente hominum, quin rerum creaturarum universitate, *separatum & quasi abscissum,*

Consideratio
historiæ Jud.
XIII. enar-
rata.

sciffum, personam adeoque divinam esse. Admirabilia & extraordinaria plura in hac sacificatione facile admittimus, in accensu ignis & sacrificii, quem insolito modo & impetu exarsisse, insolito fulgore, insolita etiam puritate, in flammam (Hebraicum להב *flammam puriorem citra fumum* notat) erupisse, ut credamus, par est; offerentis id requirente dignitate. Quare & diserte ea non enarrantur, sed sapienti hujus mirabilis historie consideratori cogitanda relinquuntur. Duo phœnomina commemorantur, quibus mirificum se præstabat Angelus hic in actu sacrificandi. *Primum* est, quod flamma sacrificii de altari adscenderet in cælum: quibus verbis flamma offertur insolitæ altitudinis, utpote ab altari in cælum usque se porrigenis, idque quasi cum terra conjungens. *Alterum* est, quod Angelus בלהב המזבח adscenderet *in & cum* ista flamma altaris: utrumque enim ב in בלהב consignat. *In* flamma altaris adscendit, ut ea se quasi operire & induere videretur, unaque *cum* ea adscendit, ita, ut duo hæc eodem conferent tempore, adscensio flammæ altaris & adscensio Angeli in cælum *in & cum* ea, ad Angeli hujus hoc modo in cælum adscendentis divinam gloriam in oculis Manœ & uxoris ejus desigendam, Angelum, quum se immitteret in flammam altaris, pariter *in* ea & *cum* ea in cælum adscendentem, hancque in Angeli adscensione in cælum usque porrectam, conspicientium. Hunc ad modum si flammæ altaris & Angeli in cælum adscensionem junctim concipias; Angelus profecto *mirificum* se præstitit, atque ab Angelorum creatorum familia diremto se & distinctum ostendit, utpote talia faciens, quæ angelorum creatorum superant vires. Potest angelus creatus in cælum, unde missus, se efferre rursus: posset etiam, non repugno, in flammam se immittere, & transire per eam sine noxa. Verum enim vero quis altaris sacrificiive flammam sic potis est occupare, sic intendere, sic amplificare & augere, sic

fic moderari & nutui suo obsecundatem habere, ut hæc e terra in cælum usque procedat, præter omnia efficere valentem, solumque מן־לִבִּי, *abscissa* a communi naturæ lege, *facientem*, Deum? Pl. LXXII. 18. *Manoah* certe & *Uxor* ejus, hoc viso prodigio, agnoscebant illico, *Elohim* esse & *Jehovam*, quem viderant. Videntur *Manoæ*, qui trepidans exclamabat, *omnino morituri sumus, nam Elohim vidimus*, in mentem venisse apparitiones divinæ in fulgida, flammante, specie, in columna nubis & ignis in medio Israël: & quum jam conspexisset Virum hunc flamma altaris se induere, in eaque & cum ea se effere in cælum, non dubitat, eundem eum esse *Elohim*, qui consimilem ad modum Patribus apparuit, indeque jam a mundi primordiis nomine *Elohim* fuit insignitus. Persuasus certe erat *Manoah*, se vidisse *Elohim*, qui in gloriosa nube habitans edixerat: *non potest me (faciem meam) homo videre & vivere* Exod. XXXIII. 20. Unde, nimirum quod vidissent *Elohim*, se certo morituros, inferebat *Manoah*. Nisi in nomine *Elohim* emphasin, quam nos in eo demonstramus, *Manoah* agnovisset, æque, ac *uxor* ejus, appellavisset *Jehovam*, eo magis, quum versu præcedente 21. memoretur, quod visa illa mirabili Angeli in cælum adscensione noverit *Manoah*, eum Angelum *Jehova* esse.

An mirifici Angeli hujus in & cum flamma sacrificii adscensio in cælum sensu mystico concinne referre se patiatur ad factam Nube fulgidissima, testatissimo illo præsentis & majestatis divinæ signi & documento, quod *Gloria*, כבוד, Δόξα, *Gloria Dei*, vocitatur, (31) *JESU* Christi, peracto per semet ipsum

(31) In *Terryade* Dissertationum Theologicarum, de mundi hujus Novissimis, *Dissert. secunda de externa IESU Christi, Domini nostri, pro Tribunali, coram quo universus judicabitur mundus, sedentis Gloria & Majestate*, nubem, quæ *JESUM* susceptum abstulit ab oculis Discipulorum in cælum, que exivit, demonstro fuisse *Nubem* istam *fulgidam*, constans illud & notum divinæ Majestatis ejusque præsentis indicium & symbolum.

sum & in semet ipso sacrificio, in cælum adscensionem, hic non inquirō. Hoc certum est, Angelum hunc & Sacerdotem mirificum mirifica hac in & cum flamma Sacrificii, a se incensi & oblati, in cælum adscensione, quis ipse sit, spectatoribus Manoz & Uxori ejus palam fidemque fecisse, se non esse de coetu angelorum creatorum, sed Jehovah, sed *Elobim* ipsum, נֹרָא תְהִלּוֹת עֲשָׂה פִּלְאֵי Exod. XV. 11. *Reverendum תְהִלּוֹת* laudibus, laudabilibus facinoribus, proprie *splendoribus*, quod non tantum ad splendida, illustria, facta, sed apparitiones etiam, *mirificas* & manifestationes, in & cum splendore, in symbolis fulgentissimis, factas, se adplicari sinit, *facientem פִּלְאֵי mirabile, miraculum*, unde Angelus noster se פִּלְאֵי *miraculosum, prodigiosum, mirificum*, nominat. Certum etiam est, in Jesu Christi adscensione in cælum illustrissimam haberi eminentissimamque Divinæ Gloriæ ejus demonstrationem, inque sacrificio ejus, flagrantissimo purissimoque amore in placamentum Justitiæ divinæ oblato, fundatam esse Jesu Christi evectionem in cælum, eminentiam, gloriam, majestatem, magnificentiam, potestatem denique omnem, quam consecutus est ad dextram Patris sui in cælo, ut Pontifex & Rex, tanquam verus Melchizedekus, Simsonis, post mirabilem hanc rem gestam nati, in administratione regni sui typum reapse sistens implensque.

Nec est, quod tergiversetur, in mirifico hoc Sacerdote, sacrificium offerente & incendente, inque & cum flamma altaris in cælum adscendente, figuram typicam agnoscere magni *Pontificis & Legati adstipulationis nostræ*, semet ipsum, quum appariturus esset inter homines, & ipse homo factus, Deo Patri devoturi in sacrificium, hoc est, ex purissimo ardentissimoque gloriæ & sanctitatis divinæ studio & amore, exque sua & Patris sui voluntate, divinis passionibus consumendum tradituri, tum purificatione peccatorum nostrorum per se ipsum facta adscensuri in cælum,

cælum, peractique hujus sacrificii sui virtute sessuri ad
Dextram Magnificentiæ in cælo, Heb. I. 3. (32)

Expendas denique Locum in nexu cum seqq. qui ex-
stat Deut. IV. 7. *Nam quæ gens tam gloriosa, cui Elobim*
propinqui, sicut Febovab Elobim noster, quotiesque invocamus
eum? Intelligitur propinquitas Elobim in visibili, præsentè,
gloriæ & majestati Numinis conveniente, signo, quod in
seqq. describitur, vs. 10. 11. 12. Conf. Num. XIV. 14. No-
tentur Deut. IV. Versus 32. 33. *Nam interroga quæso a*
temporibus præcis inde ab eo die, quo ברא אלהים ארץ
Elobim creavit Adamum super terram, ab una extremitate
cæli usque ad alteram extremitatem: num facta fuerit res
eujusmodi hæc maxima, aut num audita fuerit similis ei:
Num audierit ullus populus vocem Elobim, loquentis e medio
ignis, ut tu audivisti, & vixerit, externatus animam &
sanguinem tenuerit. Attentionem excitat, quod Moses non
dicat, a mundi initio, sed terminum, a quo comparatio-
nem hanc orditur, in *creatione hominis, ab Elobim facta, po-*
nat. Videtur mihi Moses analogam quandam *res Elobim,*
quum Adamum crearet, splendida in luce *επιφανειαν* sibi
proposuisse, eaque de causa Creatorem quoque nomine
Elobim designare, ex quo tempore nec factum nec auditum
unquam aut usquam sit, quod Numinis apparitioni, quæ po-
pulo Israëlítico obrigit, quodammodo sit simile. Et ip-
sam hanc *Elobim,* quum Adamum crearet, factam in spe-
cie præfulgida apparitionem si judices a Mose excludi quo-
que: de apparitione Numinis tam augusta, tam terrificâ,
salibus circumstantiis, quæ de apparitionibus Elobim in
Israële memorantur, comitata, concedendum utique, simi-
lem ei nusquam & nunquam visam esse. Neque ego ap-
X 2
pari-

Locus Deut.
IV. 7. in ne-
xu cum seqq.
explicatio-
nes nostras
consulatis,

(32) Fulse & particulatim Historiam hanc, ejusque *πνευματικὴν δὴ*
Λωσιν explanat Celeberrimus *Virringa* in Obs. S. Lib. IV. Cap. XIV.
XV. de Angelo Sacerdote ejusque mysterio.

paritiones Elohim paradisiacas cum illis, quæ populo Israëlitico post egressum ex Ægypto obtigerunt in solitudinibus Arabiæ, comparatas velim: etiamsi aliqua inter eas ratione splendidissimæ lucis intercederet analogia. Et vel sic tamen splendida Numinis, quum Adamum crearet, non negaretur *επιφανεια*, tantummodo in modo inferior poneretur. At vero, quum hic non tam fulgoris, quo Elohim amictus apparuit, intensio & modus, quam *propinquitas*, ab Elohim hominibus in *επιφανεια* suis indulta, respiciatur a Mose, ita, ut in symbolo saltem, præfens videretur Deus, & coram ex eo loquens audiretur: statuendum mihi potius videtur, ab *επιφανεια*, quas ex eo tempore, quo Elohim creavit hominem, mortalibus usquam & unquam evenisse negat, excipi illam, qua Elohim apparuit, quum crearet Adamum. Ubi sane idem Elohim Adamo creato se familiarem magis & propinquiorem præbuit, cum eoque, ut amicus cum amico, loquutus est & egit.

Alterum, quod in Oratione Mosis observari velim, est hoc: quod Moses præfulgidas hæc & augustas Numinis apparitiones connectat perpetuo cum solo nomine *Elohim*: quum ceteroquin in hisce suis concionibus vel nomen *Jehovah* solum, vel *Jehovah Elohim*, *Elohim noster*, *vester*, *tuus*, *meus*, *Patrum nostrorum*, ponat. Quin disertè ait, *Jehovah* in istis, quibus in Israële se manifestavit, apparitionibus, demonstrare, se esse *Elohim* in cælo & in terra, & nullum præter ipsum, *vs. 35. 39.* Quibus id, quod supra de nativâ potestate & usu nominis *Elohim* disserui, insigniter consulciri, putem.

Demonstratur, nomen *Elohim* Creatorem & supremum Dominum consignare.

§. XLIII. Nec desunt Contextus, nomini *Elohim* notationem virtutis creatricis, indeque manantis supremi dominatus, attribuentes. *Beatus*, cui auxilio est *El Jacobi*, cuius expectatio est in *Jehovah* *יהוה* *Elohim*, Deo, suo. *Qui* (*Jehovah Elohim*) *fecit cælos & terram, mare & quidquid est in eis: qui servat* *יהוה* *fidem in seculum: hoc pacto demon-*

monstrans vim nominis *Jehovah*; quemadmodum virtutem nominis *Elohim* demonstratam dedit in cæli terræque productione Pf. CXLVI. 5. 6. *Sunt adhuc pro Deo* (אלה) *sermões: proferam sententiam meam e longinquo; & Opifici meo tribuam justitiam*, Job. XXXVI. 2. 3. Voluit *Elibu* dicere: Sunt mihi sermões, quibus Dei Opificis, Factoris, mei causam & justitiam defendam. Propositionem hanc dispescit *Elibu* in duo membra, quorum cuique unum ex nominibus, sub quibus summum tibi Numen representabat, deputat. Quod frequens admodum est in sententiosa & ligata oratione. Nec est, quod exemplis, quorum seges prostat in hoc *Jobi* libro, in Psalmis, in prophetarum concionibus, nec rara sunt in hac ipsa *Elibu* dissertatione, hoc comprobem. Ita ex. gr. *El Schaddai* vel *Eloah Schaddai* in toto hoc *Jobi* volumine eundem admodum divisim proponi vides. Consimilis sejunctio facta ab *Elipha* Cap. IV. 17. *An mortalis* מאלה *Deo justior esset? Num מעשהו* *Factore sui mundior esset vir? Eloah & Creator continuo tenore atque indivise proferuntur: At nemo dicit: ubi est Eloah* עושי *Factor mei, seu, qui fecit me.* Cap. XXXV. 10. *Jehovah Zebaoth* אלהי ישראל, *Elohim Israelis, insidens Cherubinis, tu es האלהים* *Elohim solus, omnibus regnis terræ: tu fecisti cælum & terram*, Jer. XXXVII. 16. *Tu solus es Elohim*, Numen, Σεβαστα, Dominus & Rex, religiosa veneratione adorandus, colendus. Additur ratio: *Tu fecisti cælum & terram.*

At hæc de *Elohim* prædicari possunt; etiamsi horum nihil in notione ipsius nominis *Elohim* contineretur. Quid vero? Si ostendatur, ei inesse vim istam, inque thematibus cognatis diserte proflare? Immo quando nominatur אלהי צבאות *Elohe Exercituum*; sive per *Zebaoth* agmina Angelorum, sive cæli sidera, sive creaturas quascunque, intelligas, concinnissimo ordine coagmentatas & dispositas: Quando nominatur אלהי השמים ואלהי הארץ *Elohim cali & Elohim terræ.* Gen. XXIV. 3. *Efra* V. 11. Quando denique nominatur

בשר *Elohim spirituum omnis carnis Num.*
 XVI. 22. XXVII. 16. Paulo Apostolo *Pater Spirituum*
 Heb. XII. 9. Conf. Job. XII. 10. *In cujus manu est anima*
omnis viventis. Qui locus phrasin *כל בשר* *Spiritus*
omnis carnis explicat & de *Spiritu, cum carne* seu corpore
conjuncto, interpretandum docet. An in hisce constructio-
 nibus tergiversaris, *Elohim* Creatorem simul, simul Recto-
 rem & Dominum, agnoscere? An Deus alia de causa
 supremus & absolutus est cæli terræque & rerum quarum-
 vis Dominus, quam quia earum Parens est & Creator?
 Nonne hinc *Creatorem & Dominum esse cæli & terræ* fe-
 re synonyma sunt in divinis Libris, individuoque fere ne-
 xu continentur?

Moses hinc
 Pharaonis
 inde Aaronis
 Elohim.

Ex hoc nominis *Elohim* conspectu intelligitur vis phra-
 seos, qua Deus utitur, Mosen futurum hinc *Pharaonis*, in-
 de *Aaronis, Elohim*, edicens Exod. VII. 1. *Pharaonis Elo-*
him, quatenus vice *Domini*, cujus est *mandare*, Moses fun-
 cturus erat apud Pharaonem, & dimissionem Israëlitarum
 ex Ægypto imperaturus: *Aaronis Elohim*, quatenus manda-
 ta Dei declaraturus & præcepturus erat Aeroni, hujus ore,
 nomine & jussu Mosis, populo, Pharaoni, edifferen-
 da. *Alloquetur*, inquit Deus ad Mosen, *ipse*, Aaron scili-
 cet, *pro te populum*, fietque, *ut ipse sit tibi vice oris, tu*
vero sis ei לאלהים vice Dei, Exod. IV. 16. *Vide, Consti-*
tui te Elohim Pharaoni, Aaronem vero, fratrem tuum, ut
sis propheta tuus, interpres mandatorum tuorum, Pharao-
 ni exponendorum, Exod. VII. 1.

Populi Ju-
 daici Magi-
 stratus Elo-
 him, sicut A-
 dam mori-
 turi & sicut
 unus princi-
 pum casuri,

Populi Judaici Magistratus politico Ecclesiastici, Pon-
 tifices, Synedri, Seniores, Sacerdotes, Scribæ, in cathedra
 Mosis sedentes, cum auctoritate & potestate præci-
 piendi & judicandi, ad instar *מרוקק*, *Legislatoris*, Gen.
 XLIX. 10. *Elohim* item nominatur Pl. LXXXII. 6. Ex-
 planatur per additum titulum, *בני עלין* *filij altissimi*, de
eminentia Numinis, quæ est suprema Auctoritas & pote-
 stas

stas mandandi & judicandi, participantes, ejusque quan-
 dam representantes imaginem, non sine Numinis voluntate
 & ordinatione; hinc *El*, Deus *eminentia prævalens*, Ego, in-
 quit, *dixi, vos estis Elobim & filii altissimi in complexu*
universitate, vestrum, vos omnes. Quoniam vero munus suum
 judiciale contra jus fasque administrabant, personam im-
 proborum suscipiebant, in judiciis suis, tenues, egentes,
 pupillos, opprimi sinebant: denunciatur eis, fore, ut mo-
 rerentur **נאדם**; id est, omni auctoritatis, dignitatis, pote-
 statis, vita & splendore privarentur, *sicut Adam*, primus gen-
 neris humani parens, qui in statu integritatis erat **כדמות**
אלהים Gen. V. 1. & sic suo modo *Elobim*, Dominus item
 & Rector animantium, in toto terrarum ambitu, in cælo
 aëreo, in profunditatibus aquarum, viventium vigentium-
 que, constitutus: sed, integritatis statum deserendo & sæ-
 dus Dei violando, splendore, quo condecoraverat eum
 Creator ipsius, excidit, & sic jam tum moriebatur, indicem
 & sigillum immortalitatis amittens, pudenda nuditate, fu-
 turæ reversionis in pulverem prodromo & antesignano,
 in locum splendoris succedente. Vides, vocabulum **אדם**
 me accipere hic pro nomine proprio; quia appellative
 sumtum, *sicut homo*, vel, *sicut homines*, voce Adam colle-
 ctive intellecta, nervo & pondere, quod hic expectatur, ca-
 ret. Quemadmodum nomen *Adam* a Theologis nostris
 hanc in partem explicatur Hof. VI. 7. *At isti נאדם*
sicut Adam transgressi sunt sædus, ibidem perfide egerunt
contra me. Additur **וכאחד השמים תפלו** & *sicut pri-*
mus (hanc notionem habet **אחד**.) *principum cadent*, In-
 telligo *Saulem*, Regum in populo Israëlitico *primum*,
 qui, quamquam ab ipso Deo ad regiam dignitatem erat
 evehsus, hoc non obstante, quum prævaricaretur ad-
 versus Deum, de regia sublimitate dejectus fuit, mise-
 reque & pudenda morte sua ipsius manu periit: Phie-
 listæis

listæis caput a reperto cadavere abscedentibus & per universam regionem suam circummittentibus, 1 Sam. XXXI. Qua in re se typus offert historico-propheticus fati, quod eventurum esset Magistratibus Judaicis, qui hic *Elobim* nominantur, mores *Saulis* imitaturis, & *JESUM* Christum similem ad modum, quo *Saul* *Davidem*, *JESU* Christi typum propheticum, odio, prodentibusque odium factis, persecutus fuit, persecuturis. Quibus rebus factum, ut imperium, *Elobim* hisce ademptum, *Davidis* antitypus, *JESUS* Christus, obtineret. Quam in interpretationem consentiens Lector non admodum, credo, amplius tergiverfabitur, præcedentis membri explicationi, כָּאֵרֶם ad certam idem referenti personam, suffragari.

Si placeat in כָּאֵרֶם significatam unius retinere, per me licet. Qua ratione reverentiæ causa, quæ memoriæ Regum, Unctorum Dei, debetur, nomen proprium *Saulis* suppressum esset, ex typicæ, quam repræsentavit, picturæ in nexu cum successoris *Davidis* principatu & regno contemplatione non difficulter agnoscendi. Conf. Esai. L. ubi imagine attriti obsoletique vestimenti, quod hinc negligitur, abjicitur, tineisque peredendum absumentumque relinquitur, eidem Magistratuum Judaicorum universitati, בָּלִים, synedrüs synedrisque cunctis, ab eodem supremo Judice, eadem mors, interitus idem, denunciatur.

De Empha-
s, in eo resi-
dente, quod
homo condi-
tus dicatur
betzelem E-
lobim.

§. XLIV. Interfatione hac de usu nominis *Elobim* defuncti, in orbitam revertimus. בָּלִים אֱלֹהִים secundum ea, quæ supra, præsertim §. XXXVIII. præstruximus, Adamum non tantum tanquam ipsissimam, accurate expressam veramque *Elobim*, ipsum tunc *creantis*, sed ipsam etiam, vivam, veram, futuri *Liberatoris* sui potest designare *imaginem*. בָּלִים interpretor *ipsam, veram, plene planeque expressam, imaginem*, idiotismum, quem linguæ Orientales huic dederunt constructioni, & supra demonstravi, ad nostrum בָּלִים transferens. Enimvero gerebat Adamus in

COR-

corpore suo *Creatoris sui imaginem*, non lato hoc & generali sensu, quod in corpore Adami Creatoris sapientia, potentia, bonitas & gloria, possent conspici; nam hoc sensu gestant quævis res creatæ, & quoque animantium corpora, Dei imaginem: sed stricto & proprio vocis *imago* significatu, ex quo corpus Adami secundum exemplar adscitæ tunc a Creatore formæ corporeæ effingebatur, hæcque in corpore Adami omnino & reapse exprimebatur. Quo pacto Adamus in corpore suo, prius vita destituto, nudo, dein cum spiritus viventis inspiratione Creatoris quoque sui *demuth*, luce & gloria, tanquam veste, amicto, veram vivamque cum Creatoris, tum futuri Liberatoris sui in gemino statu suo, exhibebat imaginem (33).

Y

§. XLV.

(33) Adamum, quatenus a Deo positus fuit Caput repræsentativum universi generis, ex ipso orituri, statuti cum ipso, & lapsuri etiam, si ipse aut perstaret in fœdere, aut laberetur: participantis ea de causa de Capitis sui, quem illud deficiendo a Deo sibi contraxit, reatu, Adamum, inquam, in hac relatione fœderali gessisse typum Domini nostri Jesu Christi, obedientiæ, quam Patri suo in fœdere, cum ipso inito, præstitit, fructus in semen suum spirituale derivantis, diserta Apostoli *Pauli Rom. V.* est doctrina, Adamum hac in schesi ut typum *τῆς μετάνοιας* introducens. Ille, deficiendo a Deo, se & universum genus suum in mortem implicuit: Hic toti familiæ suæ vitam & gloriam comperavit moriendo. Neque in hoc tantum, sed in aliis etiam respectibus & scenis, repræsentatio typica partim extra dubium posita, partim rei typicæ *ἀνατύπωσις* nec non celeberrimorum Nominum amplexibus & suffragiis suffulta comperitur. Extra dubitationem collocatus est Adami formæ exque dormientis Adami carne & ossibus concinnata conjux Eva, effigies Ecclesiæ, ex corpore Christi, in cruce diffracti, natæ Eph. V. 32. Universæ *κρίσεως* Princeps & Colophon erat homo, in cujus gratiam divinum Numen orbem terrarum, & quidquid in eo circaque eum vivit vigetque, condidit, opibusque, quibus circumfluit, instruxitque: miraculorum operum, quæ in diffusissimo adspectabilis mundi theatro potentissimi & sapientissimi Artificis concinnavit & perpolivit manus, opificiorum mirificissimum, entium creatorum omnium, simplicium & compositorum,

marc-

Amplior my-
sterii hujus
explanatio.

§. XLV. Erat videlicet in fati, futurum esse, ut *Elohim*, Creator hominis, æternus Dei Filius, in condito ab ipso terrarum orbe Filius fieret hominis, *Θεωδωτος*, alteram creationem, præcedente gloriosiore, eademque *ὁς ἐν τῷ αὐτῷ* repræsentatam, adornaturus. Qua creatione nova & mystica beandi prædestinati sunt ut *conformes fiant* *imagi-*

materialium & imaterialium, spirituum & corporum, in compendio exhibens & repræsentans complexum, vere hinc & venuste *μυστικῶς* dictus. Quem ideo Dominus omnium rerum & Moderator, Deus, sui quasi vices in terra gerere iussit, operibus manuum suarum præponens eum, inque omnia, quæ vitam & halitum habent, dominari iubens. Qua in re præclari nominis Theologi (veluti *Lampius* in *Libris de mysterio fœderis gratiæ* Tom. II. p. m. 277.) Adamum sciscitant Jesu Christi, secundi Adami, gessisse typum, & Ps. VIII. 5 - 9. ubi summum imperium & potestatem Jesu Christi celebratur, ad dominatum Adami in animantia allusum judicant. Neque dubitant illi, notabili præter ceteras productiones, ab iisque insignitissime distinctæ, ad quam perficiendam merus divina voluntatis iustus non sufficere, sed requiri videbatur SS. Trinitatis molitio & virtus, Adami e terra formationi, immediate a summo Numine peractæ, typicam hanc tribuere ad Jesum Christum, alterum Adamum, scilicet.

In Adami e terra formatione res ipsa jubet, ut corpus Adami, manibus Creatoris effectum, prius concipiamus vitam, gloriam item & lucem, lucis internæ moralis signo & teste, quam ergo par est, ut una cum inspiratione Spiritus vitalis ac rationalis corpori adfusam credamus, destitutum. In priore corporis Adamici statu cernis statum Jesu Christi, quemadmodum ex consilio & consensu SS. Trinitatis & immediata divina ipsiusque Jesu Christi potentia ex parte terrestris hominis formatus & natus est, sed ab omni splendore, quo se exinanivit, nudus; ubi præcedere debuit corporis mors, & hanc demum status vitæ & gloriæ sequi. Immo hac sua exinanitione & morte homo Jesus Christus sibi & mystico corpori suo viam ad vitam & gloriam cælestem debuit munire. *Nominis hæc oportuit pari Christum, & introire in gloriam suam?* Luc. XXIV. 26. Hoc pacto in generis humani primordiis Elohim, hominem principem creans, formansque cum sui imagine, pariter jam tum in imaginis hujus fabricatione, quid in reparatione hujus sui principalis operis, quod malignis & fraudibus diaboli sedatam perditumque iri, præsciebat, ipsemet *sur-*

imagini Filii Dei tam in corporibus quam animis suis, ut is primo genitus sit inter multos fratres Rom. VIII. 29. Phil. III. 21. Ubi mihi congruentius videtur, ut Filio Dei, in sequentibus œconomis omnibus & scenis earum ubivis primas habituro, Col. I. 18. in principe theatri hujus gloriæ divinæ scena primæ item dentur & honor archetypi tam

Y 2

in

futurus, que fata subiturus, esset, quam formam, quem in forma ista habitum, נִמְנֵן, gesturus, quos induurus status, distinctis coloribus spectandum prænotandumque præbuit. Formationem Adami ita sane describit Historia, ut cum prius vita destitutum & quasi mortuum, cum Spiritu Elohim animatum atque ad vitam, camque immortalem, in Paradiso cum majestate & gloria Domini degendam, suscitatum, distincte exhibeat. Fateamur ergo, geminum hunc Adami statum aptum omnino fuisse, ad geminum item Jesu Christi statum expingendum. Quid igitur obstat, quo minus utrumque hunc Jesu Christi, futuri hominis Restauratoris, statum revera hic quoque in Adamo, tanquam in effigie, propositum esse & præmonstratum, admittamus. An abluat illud a persona Adami, quem constat typum gessisse Jesu Christi? Idem, qui Adamum formaverat, Elohim, eidem adjuncturus conjugem, hujus ita instituit formationem, ut imaginem repræsenteret Ecclesie, quam ipse Jesus Christus, laceratione corporis sui acquisitam, veluti conjugem sibi erat desponsurus. Quod mysterium in Historia creationis, uti id genus alia, tacitum, reclusit nobis Apostolus Eph. V. An ergo quid erit alieni; in ipsius Adami formatione notabilique hujus formationis modo, si Jesum Christum istis in statibus, in quibus ratio continetur maximi operis, quo & ipse perditus Adamus, ex coque nasciturus ad vitam & gloriam celestem destinati homines, renovarentur ad Dei imaginem denuoque crearentur, ea depinxisse censeatur? Nonne pictura hæc in scenam, que originem hominis humanique generis pandit, admirabiliter quadrat? Nonne sapientiam Creatoris insigni luculentoque cumprimis specimine illustrabit? Hæc considerationes, ex diserto Historie sacre contextu hæc, satis, opinor, momenti dare possunt ad typum, quem proposui, amplectendum. Ad quas considerationes si accedunt *ætem* formæ corporis, a creatore Elohim tunc, quum hominem conderet, assumptæ, & assumptæ aliquando in unitatem personæ, in corpore Adami expressio, hujusque lucidus & gloriosus amictus, internæ gloriæ & sanctitatis index & testis, *denuo* Creatoris nominatus, quod utrumque in hac commentatione prolo, *hiscæ* arbitror in mero die poni typum nostrum.

Lem-

in corpore quam mente Adami: in mente, creata ad exemplar mentis divinæ & moralium perfectionum per Spiritum Sanctum, qui est Spiritus Filii Dei Gal. IV. 6. Spiritus gloriæ, 1 Pet. IV. 14. Conf. 2 Cor. III. 18. In corpore, secundum imaginem formæ corporeæ, a Filio Dei tunc, quum hominem ex glæba terræ conderet, assumptæ,

Laudatus antea Lampius Adami e terra formationem confert etiam cum ortu JESU Christi ex homine, ab unica & immediata Dei profecto potentia. Mirum non est, statum exinanitionis & mortis JESU Christi non vidisse hic eximium Theologum, nec videre eum, qui ejus tenent vestigia; quum de insecto corporis Adami statim receptas in scholis sequantur præceptiones. Qui sibi persuaderi patiuntur, corpori Adami cum spiritus vitæ inspiratione lucidum circumfusum fuisse habitum, hi, credo, non valde tergiversabuntur, in eo imaginem agnoscere status Servatoris gloriosi, quo factum Eum novimus, ex morte in vitam assertum, vique vitæ indissolubilis donatum. Et hanc imaginem qui agnoscit, eum in præcedente Adami, vitæ & splendore destituti, conditione statum exinanitionis & mortis Servatoris haud gravate admitturum, putem.

Cogitabunt fortean non multum in hisce doctrinis versati, Adamum, vitæ cassum, parum apte ut typum introduci JESU Christi; quum is, etiam si semet ipse exinaniverit, vitam tamen habuerit, eaque pusillum tantum caruerit temporis. Qui ita rationes ineunt, illi meminerint, non extendi debere typos ultra tertium comparationis, quod nisi observetur, infinitis absurditatibus fenestram aperiri in manifestissimis etiam typis. Constat sibi typus, constat sapientia, rem aliquam, personam, ritum, actionem, typum rei alterius excellentioris instituens; quum id, ad quod condoncedendum tendit, conspicui sit momenti, tertium item comparationis belle se habeat, idque typus, ad quod ordinatus est, signanter exprimat: cetera non attenduntur; nec typo, qua typo, officium. Jam exinanitio JESU Christi, & cum maxime mors ejus, palmarium sine dubio est, prora & puppis, in salutis Adamidarum impetratione. In salutis impetratæ applicatione palmarium item & universi operis basis est Vita Liberatoris, mortem ejus insecta: vitæ Adami secundi Vita, Vita pariter & gloria vitæ & gloriæ mystici sui corporis. Mors Sponsoris, JESU Christi, mortemque subsequuta vita, sunt α & ω in grandi restaurationis mystetio, alpha & omega, principium & finis, cardo & centrum, quo Dei & hominis

reuo-

tæ, inque unitatem personæ reapse assumendæ aliquando, ad hominem novum condendum, sed cum abdicatione gloriæ, in cælo demum, consummato inter mortales redemptionis opere, modo longe illustrissimo induendæ, ex ecque tempore in corpore Immanuelis solis ad instar fulguræ æternum, æternumque in corporibus redemptorum resurguræ.

Y 3

Mihi.

renovandi res omnis vertitur, ad quod omnia collincant. Audi ipsam Dominum: *Ego sum primus & ultimus. Es qui vivo, sed fui mortuus, & ecce vivo in secula seculorum, Amen, Apoc. I. 17. 18.* In Adamo ipso, totius generis humani capite & stirpe, habes *Adamum priorem*, unde *Χόριοι*, terreni, nascimur, & vitam accipimus *Ψυχικῶν*, animalem, spiratione constanssem, *יהוה שדי*: In *Jesu Christo*, post mortem vim vitæ indissolubilis consecuto, habes *Adamum posteriorem, secundum*, Dominum e cælo, spiritu præditum vivifico, vitæ spiritualis & cælestis in suorum tum animis, tum corporibus, in vitam restituitis, Principem 1. Cor. XV.

Adamus, halitu Omnipotentis animatus, e vestigio in Paradisum introducebatur: ita *Jesus Christus Spiritu sanctificatus*, id est, præpotente naturæ suæ divinæ virtute in vitam revocatus, Rom. I. 4. introductus est in cælum, calique & rerum terrenarum omnium Dominus & Christus factus. *Minorem quidem fecisti eum paulisper angelis: sed gloria & majestare coronasti eum. Præfecisti eum operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus ejus: Greges & armenta quorquor sunt; etiamque bestias agrestes: Aves cæli & pisces maris: quidquid permeas semitas marium, Ps. VIII. 9-9.* Quapropter etiam Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac donavit ei nomen, quod est supra omne nomen: *Ur ad nomen Jesu omne genua flectentium ac terrestrium & subserraneorum Phil. II. 9. 10.* Divisio ista genua flectentium ad nomen *Jesu* petita forsitan ex *Psalme VIII. Επυργανις* habes in Angelis, Filio hominis, gloria & majestare coronato, subjectis vs. 6. *Επυργις* habes in ovibus, armentis quorquor sunt, bestiis agri, avibus: *καταχθονις*, quid sub terra sunt, in piscibus maris, quod, quia terra depressius, sub terra potest censeris, & omni eo, quod permeat semitas marium, figurate explicandis. Si quis mavelit tres ad nomen *Jesu* genua flectentium ordines conferre cum tribus animantium, in quæ Filio hominis datum imperium, clas-

Mihi, inquam, videtur congruentius, ut honor archetypi, quemadmodum in consummatione gloriæ, ita etiam in delineatione atque initis, potius detur Ei, qui *alpha* est & *omega*, *initium* & *finis*, quam homini hæc principatus gloria tribuatur.

Creatio corporis Adami cum veste lucida ad ex-

§. XLVI. Primi hominis cum lucido corpore ad exemplar Creatoris sui formatio poterat & debebat homini, gloriæ hanc sua a Deo defectu amittenti, factæ iacturæ

ræ

classibus, quæ sunt 1) aves cæli, 2) animantia terræ duplicis generis, tum oves & armenta, tum bestiæ agri, 3) pisces maris, & quidquid permeat semitas marium: is me non habebit refragantem. Quin si per eos, qui sunt sub terra, describi putes pisces maris & quidquid permeat semitas marium, concinnius videri potest, & picturæ interpretandæ tenor requirere, ut aves cæli expresserit Apostolus per *επεραυσις*. Nec contra disputabo, si censetur, Apostolum voce, quæ aves cæli designatum ibat, comprehendere quoque Angelos. Alatos eos introduci & pingi, cui ignotum?

Dixi, ultra *tertia comparationis* extendi non debere typos, ut eis honos suus, & quoque veritas, constet. *Victimæ*, a Deo mactari & sacrificari iustas, quis ignorat typos fuisse Jesu Christi, Sponsoris nostri? Erantne & illæ animantia bruta, carentia mente & ratione? At vero is defectus in illis non attendebatur neque in censum veniebat, sed tantum violenta mactatio, combustio, destructio, oblatio pro peccatis offerentium. *Primitivæ frugum*, Deo consecratæ & oblata, figura erant typica resurgentis primo Domini Jesu Christi, totam messem ad eandem suo tempore & ordine vitam resuscitandorum sanctificantis 1 Cor. XV. 20. 23. Hæc tantum hic respiciebatur & significabatur relatio, non curatum, an primitivæ essent primitivæ ratione in aliisque convenirent cum Antitypo, nec ne.

Sunt & *typis fines* sui & *serri limites*, ultra quos item non debent tendi. Quod propterea moneo, ne quis hunc propositum a me Adami typum ex eo capite impugnet, quod Christus vita & gloriæ, quam ei resurrectio & intraductio in Paradisum cælestem dedit, non sit rursus privatus: veluti Adamus vita & gloriæ, qua spiritus vitæ inspiratio beaverat eum, excidit. Eousque typus hic non debet porrigi; sed intra terminos Adami, vita prius destitutum, animati cum imagine secundum gloriosam similitudinem Dei, indeque in Paradisum introducti, & Domini animantium, ovium, jumentorum omnium, ferarum agri, avium cæli, & piscium maris, constituti, maneri.

ræ magnitudinem, in eaque peccati sæditatem, detestabi-
 lemque nocendi vim, ob oculos ponere, & damna suo co-
 ram videntem acrius compungere. Poterat & debebat
 promissio Seminis mulieris, gloriam deperditam reparatu-
 ri, Restitutorem huic homini carissimum acceptissimum-
 que reddere. Prævidere item poterat, qualem nova crea-
 tio, quam par non erat, prima creatione concipere obscu-
 riorum, habitura esset exitum: eodem illo Elohim, qui
 divina indutus gloria ad ejus similitudinem primum con-
 didit hominem, deinceps, ad opus secundæ & mysticæ
 creationis perficiendum, apparituro non tantum in simili-
 tudine carnis peccati, sed eo usque processura etiam ejus
 exinanitione, ut quoque corporis velamento, quod pudor
 imperat, exueretur, in istumque deveniret statum, ut di-
 cere posset: *vermis sum, non homo*. Eccui, hæc cernenti,
 aut comperienti, juxtaque ad ea, quæ in initio mundi ge-
 sta sunt in primi hominis formatione, quemadmodum hæc
 facta, & a quo, qualique in magnificentiæ & fulgoris thea-
 tro, animum reflectenti, tam ferò tamque ferreo esse li-
 ceat, ut tam inusitata, tamque mirabilia, *φιλανθρωπίας*,
 gratiæ, misericordiæ, divinæ prodigia, & tantum non
 excessus, absit verbo invidia, non tangant eum, non in-
 time adficiant, non in stuporem, in amorem mutuum, in
 amplexus, ducant, trahant, rapiant, amantissimi tum Crea-
 toris, tum Redemptoris, gloriæque, quam prævaricando
 amisimus, Restitutoris! Respectus ad Adami primam a
 Domino gloriæ, in gloria, & ad gloriam, factam creatio-
 nem præmonstrare poterat, hominis Creatorem & Arche-
 typum, peccato in assumta ex mero amore erga perditum
 hominem servi & maledictionis forma expiato, cessantibus
 adeoque exinanitionis causis, eum reapse futurum, qui in
 adsumta tunc apparuerat forma, Dominum videlicet glo-
 riæ, qui gloriam, homini in primordiali creatione datam,
 sed raptam ei a serpente, restituens, opus secundæ crea-

emplar Crea-
 toris sui post
 hujus amif-
 sionem infi-
 gnam reti-
 nuit usum.

tionis, cujus prima fuerat typus & imago, esset consummaturus, & resuscitata ex pulvere iustorum corpora corpori suo glorioso conformaturus vi illa efficace, qua potest sibi subjicere omnia, Phil. III. 21.

Harum magnarum rerum statim post lapsum fiebat Revelatio in prima promissione gratiæ.

Harum magnarum rerum illico fiebat revelatio in prima gratiæ promissione, ex qua idem ille *Jehovah Elobim*, qui huc usque in concinnando & ornando homine occupatus fuerat ut Creator, causam operis manuum suarum, quod diabolus decore & gloria sua spoliaverat, suscipit, seque ut Lucem, Auxiliatorem, Patronum ac Liberatorem, hominum homini manifestat, arcanum Dei consilium de redemptione hominis ejusque procurandæ modo ei aperit, futurum nempe, ut ille ipse *Jehovah Elobim*, gloriosus hominis figulus & creator, per eandem creatricem potentiam, qua hominem ex luto effinxerat, semen & filius fieret hominis, verus homo, fratribus, ab ipso redimendis, per omnia similis, excepto peccato, adeoque gloria & majestate divina, in qua hominem condens fulserat, se exueret, inque humili hoc exinanitionis statu serpentem infernum, internecinum hominis hostem, adoriretur, in extremas ejus arces, quæ mors & sepulchrum nominantur, penetraret, & contrito ubivis capite serpentis, perperaque calcanei percussione, victor triumphatorque de inferis, morte, sepulchro, rediret, raptas opes, vitam, immortalitatem, gloriam, omnia, restitueret.

Vocabulum tzelem Gen. IX. 6. demuth non comprehendit, sed excludit.

§. XLVII. Quod tandem ad usum vocabuli *צל* in Contextu nostro Gen. IX. 6. attinet, de eo mentem jam meam aperui. Superest, ut argumenta, vim ejus limitatam, supra propositam, & *דמות* excludentem, stabilientia, hic loci producam.

Vis & consequentia obligationis ad quidquam faciendum aut omittendum, ubi ex insita & respse adhuc existente dignitate desumitur, cuivis illico incurrit in oculos. Quod, si præcellentiæ, quæ quidem in majoribus adsuit, sed

sed prorsus penitusque amissa est, superstruitur, secus se habet, & speciosis objectionibus exceptionibusve expositum est atque obnoxium.

Summus & ἀντιπεδύτης omnium rerum Dominus simpliciter sine ulla addita ratione legem hanc potuerat dare, aliis etiam rationibus, contra quas ne tantillum potuisset obmoveri, æquitatem & justitiam ejus edocere. Non vero rationem aliam, quam primordiale in Adamo creationem hominum ad Dei imaginem adducit. Cogitare fas est, Deum rationem istam habuisse pro sufficiente, pro tali itemque ab hominibus posse agnosci: & quod amplius est, hanc rationem singulari ceterisque præponderante in judicio divino valuisse momento, idemque momentum internosci & sentiri posse in judicio humano. Ego singulare hoc & præponderans momentum derivo a grandi pietatis mysterio, quod in ratione ista inclusum existimo, haud difficulter intelligendum: modo historiam patiamur esse historiam, id est, ad literam, quoad ejus fieri potest, non autem ad modulum mere metaphysicarum, e schola ortum trahentium, eam explicemus. Ad grande illud pietatis mysterium facem præfert & filum ministrat Historia, ad quam fit provocatio, simplice oculo, remotis metaphysicis conspiciillis, considerata & sine præconceptis opinionibus lectitata. Mysterii summa hæc est: Creatorem Adami, Deum benedictum in sæcula, in ipsa illa tunc adsumpta forma, corporis Adami archetypo, inter homines revera appariturum aliquando, in eaque præcellentium Dei operum longe præcellentissimum, opus nimirum redemptionis, exsecuturum perfecturumque, eoque perfecto in natura humana, sibi in unitatem personæ sociata, tanquam in templo habitaturum, æternumque gloriosum & admirabilem futurum.

Hæc profecto doctrina erat momentosa, doctrina hominibus omnibus scitu summopere necessaria, doctrina adeoque, si qua alia, ab oblivione vindicanda: ad quod conducere

cere sane poterat sanctio quædam universalis, maximi ponderis, cui doctrina hæc tanquam fundamentum & sigillum adposita erat & adfixa, Noachidis inculcanda omnibus, ab ipsisque & posteris ipsorum, & posterorum posteris, perpetuum servanda.

Quamquam Adam peccato perpetrato amisit *דמות*, retinebat tamen creatoris sui *דמות*, quam & in liberos suos & posteros propagavit.

Hæc natura humana summa datur nobilitatem, summoque & liquido jure summo supplicio violationem ejus prohibet & vindicat.

Ex dictis Universalitas & constantia Sanctiõnis hujus intelligitur.

Lucentem corporis amictum atque ornatum, *דמות* appellatum, peccato perpetrato, certe amisit Adamus: retinebat tamen *υποστασιν*, substantiam, *ελε* dictam. Immo post admissum peccatum conspiciebatur secundum *υποτυπωσιν*, in æterno prædestinationis divinæ decreto præfinitam, in Adamo, nudo isto, & quasi congenita ipsi veste exuto, ipsa futuri *Θεωδρωσε* forma & imago. Eadem in filiis & posteris Adami spectari poterat & oculis usurpári. Hoc, hoc, naturæ humanæ præclarissimam & summam dat nobilitatem. Hoc quasi consecrat eam. Hoc summo & liquido jure summo supplicio violationem ejus prohibet & vindicat. Qui ergo effusus erat hominis sanguinem eique allaturus mortem, is non nudum opus Dei, sed præstantissimum operum divinorum, quod venerabilis Creator, æternus æterni Dei Filius, ad imaginem suam, ad ipsam imaginem ejus, quod ipse confieri aliquando, destinaverat, in prima generis humani origine, suismet ipsius efformaverat manibus, violaturus erat atque evastaturus. Ex hoc capite præcipiebat Deus, ut talis nefarii homicidæ, & violatoris imaginis suæ in homine occiso, vicissim effunderetur sanguis. Pœna istæc in omnem & quemcunque homicidam, animalibus, rationis expertibus, non exceptis, statuebatur.

Ex dictis intelligitur, nos hominis ad imaginem Dei creationem ita explicare, ut quidem primam suam rationem habeat in Adamo, sed simul etiam in omnibus ejus omnium temporum posteris sit vera: adeoque valentis perpetuum & æternæ Legis universalis rationem, non minus perpetuum valentem, æternam, universalem, contineat. Ex qua confide-

fideratione quicumque animum gerunt, veneratione Creatoris hominis imbutum, violationem & vastationem imaginis ejus in homine non possunt non abhorre: iisque, quos Numinis providentia summæ præfecit rerum, Sanctionis hujus executionem sibi demandatam, ut existiment, convenit.

Ejus, quod de universis hominibus, in & cum Adamo ad imaginem Conditoris creatis, dixi, veritas tenetur; si in ratione, Legi de homicida vicissim occidendo a Legislatore subjuncta, Adam veritas *homines: Nam ad imaginem Elohim*, secundum exemplar assumptæ tunc a Creatore & futuro Liberatore hominis formæ corporeæ, *fecit*, scilicet *Elohim, homines*: voce *Adam* collective, quod compluribus in locis factitatum, sumta. Nimirum quum Adamus futurus esset totius generis humani parens, homines omnes, qua corporis substantiam seu essentialia, in & cum eo facti & formati ad imaginem Elohim possunt censeri, & recte censentur. Vide locum, supra productum, inque argumento, quod in præsentia tracto, eximium oppido & præclarum, *Etai. LXIV. 8. Jam vero Jehovab pater noster es: nos lutum sumus, tu vero factor noster es, & opus manus tuæ sumus omnes*: in Adamo scilicet, manibus Creatoris e luto formato, cum Fictoris imagine, in facto e luto corpore expressa. Quæ imaginis communicatio titulo *Patris* insinuatur; si vim ei permittas, quæ datur Adamo, nomine *Filii Dei* insignito, *Luc. III. 38*. Quod nomen ex interpretum sententia Adami ad imaginem Dei conformationem complectitur. Quum nunc in *contextu Esaiæ* Patris respectus ad Adamum, quatenus e luto formatus, referatur: indene, & Adamum & omnes homines in eo in hac quoque sui parte gessisse & genere etiamnum Conditoris sui imaginem, ansa adsumetur ultro se offerente? Vide sis §. hujus Capituli III. Versionem nostram nominis *Adam* per *homines* sustinentem.

Lucet dictorum veritas in Versione, *Adam* redente *hominibus*.

Ratio in ipso habetur
contextu, vocabulum *ezzelem* in ista, quam ei datus, accipiendum esse limitatione.

§. XLVIII. Remur, in ipso quoque contextu, haberi rationes, quæ nos, ut vocabulum עלם in limitatione prædicta accipiamus, determinant. Si Jehovah Elohim universum Adami statum, in quo Numinis eum posuit creatio, adeoque non *substantiam* tantum imaginis Dei in Adamo, vocabulo עלם signatam, verum *consimilem* etiam *gloriosam* ejus *qualitatem* & conditionem, sigillatim voce דמות insignitam, subjicere voluisset Sanctioni suæ: cur posuit solum vocabulum עלם, nec junxit ei דמות, quemadmodum Gen. I. 26. V. 3. factum? Aut cur loco עלם non adhibitum vocabulum דמות, quod utrumque potuisset significare, quod Gen. V. 1. factum videmus? Voce עלם Gen. I. 27. comprehendatur etiam דמות, quod ibidem nec obscuritatem nec ambiguitatem parit propter versum præcedentem. Verbum insuper ברא, cum בעלם constructum, hac in serie supplere poterat vocem דמות, secundum ea, quæ §. XIII. Cap. I. de nativa virtute Verbi ברא, quæ est *succidente exasciatione nitidum opus effecit, nitere fecit*, attuli. Cui nativæ virtuti si Gen. I. 26. in Verbo ברא facias locum: forma dicendi, versu sequente adhibita, ויברא אלהים את האדם בעלמו omnem in partem factum esse commemorat, quod verbis, ויעשה אדם בעלמו, Elohim se effecturum prædixerat. Neque notationi huic præsentem in contextu admittendæ obstat, quod Verbum ברא absolute & simpliciter de creatione sine respectu proprie sumti, seu materialis, *nitosis*, usurpetur fere: quum idem usu veniat in thematibus innumeris aliis, notionem primariam raro, vel etiam nusquam, in monumentis scriptis, exferentibus, secundariis interim & translatis principatum obtinentibus, vimque originalem ex usu ferme eliminantibus, tantumque non delentibus. Quod sexcentis in linguis Orientalibus, Græca, Latina, & aliis, siquidem opus esset, posset demonstrari exemplis. Omnium vicem impleat ipsum Verbum ברא, proprie *secare, succidere*,

dere, secando asciare, exasciare, polire, nitidum facere, nitorem dare, significans: inde creare, ex indicata proprietate opus exasciatum, nitidum, efficere: hinc, ut fieri solet in lingua, absolute & simpliciter creare, opus aliquod efficere. Dominatur in sacro Codice potestas, ultimo loco norata: Principalis secandi, succidendi, in perpaucis occurrit locis, Jos. XVII. 15. 18. Ezech. XXIII. 47. Usus asciandi, exasciandi, ad nitentem polituram, clare satis postat in propaginibus, ex כרא & themate sororio, כרי, in Hebræorum dialecto כרה, derivatis, in quibus sub כרי habetur, ascia, delabra, &c. veluti videre est apud Golium. Et quanquam in ipso themate כרא is ita non est apertus, ut cujusvis se illico oculis ingerat, nec tamen ita etiam abstrusus, ut omnino se oculo subducatur, acie videndi non destituito. Exemplo fit Ps. CIV. 28. 29. 30. Te dante ipsis colligunt, aperiente manum tuam satiantur bono: Abscondente faciem tuam, conturbantur; recipiente spiritum eorum expirant, & in pulverem suum revertuntur: Enittente spiritum tuum כראון creantur ותחדש פני אדמה & renovas, recentas, faciem terræ. Creatio, qua quid existentiam suam nanciscitur, hic certe per כראון non intelligitur, sed lætus vigor & nitor, quem spiritus oris Dei adspirat. Firmat sensum hunc, quod subsequitur, & renovas faciem terræ, facis faciem terræ, quæ marcere, exarescere & obfusata, videbatur, squalore deterso, recente, hoc est, recedente, splendente, flore & honore, vigore & vivore, renidescere. Huc contendit proprietas Verbi חרש, sculpturam in sinu gerens nitorem, splendorem, comparantem, & ubi obfusatus erat, restituentem, renovantem. Et alibi duo hæc Verba כרא & חרש, utpote nativa indole affinia, & כרא cum derivato חרש novus conjungi videas Ps. LI. 12. Esai. LXV. 17. LXVI. 22. ut eo clarius percipiatur, creationem insinuari, qua cælum & terra ita quasi exasciantur, ut perpetuo & tanquam recenti flore & decore resplendeant, nitoremque, nullo unquam tem-

pore obscurandum, obtineant. Ceterum nec hoc prætermittendum, creationem quamvis, quæ a sapientissimo & potentissimo Numine proficiscitur, se opificii instar, a fabro exsciati, perpolitique, habere, hoc est, opus sistere, omnibus numeris absolutum & perfectum, in quo nihil in suo genere deficit, nihil ab amulli deflectit, omnia & singula tum fini, tum partibus ceteris, exacte concinneque, & ita consentiunt & respondent, ut creantis & sapientia & potentia in eo luceat, considerantisque feriat & percellat oculos. Voluisse adhæc Legislatorem sanctionem Gen. IX. 6. audientium aut legentium animos avertere prorsus a דמות & in solum עלם defigere, vel ex eo intelligas, quod pro ברא, posito Gen. I. 27. adhibeat Verbum עשה: quod de industria factum esse, ego quidem non dubito. Vid. citatum §. XIII. Hisce iterum iterumque pensatis, eo me trahi sentio, ut Gen. I. 27. in repetitione sive sententia iterata אתו בעלם אלהים ברא אתו unde Gen. IX. 6. ratio legis de non effundendo hominis sanguine transsumta, vocabulo עלם formam ac figuram corporis a Creatore, quem consideret hominem, in corpore ejus expressam, speciatim & definite credam designari: facta eum in finem dicti jam antea iteratione talique forma & structura, ut lectores, insolitæ hujus iterationis & constructionis causam circumspicientes, ad imaginis, voce tzelem indicatæ, genuinam ducerentur intelligentiam. Conf. supra §. XXXVIII. Hac ratione in sententia Gen. IX, 6. nam fecit Deus hominem בעלם אלהים, dictio בעלם אלהים prorsus planeque idem dicit, quod Gen. I. 27. eadem dictum fuerat & significatum.

Porro, in rationibus, quibus leges sancuntur, sapientia vetat id, quod Legislator pro parte rationis legis ipse agnoscit & habet, animo conclusum & tectum tenere, aut in vocabulo generali abdere, & hoc pacto rationis pondus & plenam vim arbitrarie interpretationi atque attentioni per-

permittere. Contra ea jubet, omnem ejus sensum curate & discrete exponere atque exprimere. In aliis contextibus, ubi nuda tantummodo narratur historia, si adhibita fuit ista prudentia & cura, ita ut, ubi **צלם** *imago* in toto ambitu suo erat proponenda, ei adjungatur **דמות**, vel, ubi tantum placebat unum horum vocabulorum, hoc fuerit vocabulum **דמות**, quod alterum, nempe **צלם**, una complectitur: quanto magis providentia hæc necessaria erat in sanctionibus legum? Quum itaque vocabulum **צלם** Gen. IX. 6. solum reperitur: hoc ipso jus nobis censemus tributum, vocabulum **צלם** pro se, cum exclusione potestatis vocis **דמות**, adeoque in prædicta limitatione, exponendi.

§. XLIX. *Recepta in scholis de imagine Dei in primo homine doctrina ad imaginem hanc refert 1. naturam seu substantiam spiritualementanquam tabulam, in qua pingitur imago. 2. imaginem ipsam, sitam in moralibus qualitatibus, sapientia & sanctitate, τὸ formale imaginis Dei in homine efficientibus. 3. Quædam additamenta, seu consecratoria, immortalitatem & dominium in animantia.*

Spiritualis hominis natura tanto minus hic in censum potest venire; quia ea nequidem ad essentiam imaginis Dei pertinere existimatur: atque etiam, ubi occiditur homo, non spiritus, sed corpus, occiditur & vita sua privatur.

Qualitates morales, quibus initio Adamus donabatur a Creatore suo, & quas a Deo deficiens amisit, posterique ejus una in & cum eo amiserunt, hic etiam sufficientem pleneque convincentem, meo judicio, non præstant rationem.

Dici posset, in Adamo, tanquam capite totius generis humani, omnes ejus posteros considerari posse ad imaginem Dei creatos. Non nego: sed nonne docetur etiam, totam essentiam imaginis Dei amisisse Adamum & sibi & posteris suis?

Si

Recepta de imagine Dei in primo homine doctrina causæ, Sanctioni divinæ annexæ, sufficientem & perspicuam, quod tamen in ea desideratur, non dat rationem.

In censum venire non potest spiritualis natura: Nec qualitates morales, in quibus ponitur τὸ formale imaginis Dei in homine,

Si inſtas, ad eſſe tamen ſpem, ut reſtituatur denuo amiſſa imago: hæc vero ſpes præcidatur, ſi filium vitæ, cum eoque tempus *μακροβυτιας* Dei, ad reſiſcentiam inviſantis, morte violenta ei abrumpitur. Verum omnino eſt, licere eo minus occidere hominem, revera regenitum, quod in eo *τεκνον τε Θεου*, filius filiave Dei, interficiatur. Sin is, qui occiditur, in ſtatu adhuc hæret naturæ: occiſus ſimul æternum miſer redditur, cum corpore una occiditur anima. Verum enim vero de eo nihil in adducta ratione continetur. Deus Adamum ad imaginem Elohim reape condidit, non autem condidit talem, qui Dei imaginem ſibi demum compararet. Si Deus id, quo tendit objectio, voluiſſet dicere; aliter proſecto, & ita loquutus, fuiſſet, ut mens ejus probe & faciliter a quovis potuiſſet intelligi.

Nec Domi-
nium homini
datum a Deo
in animan-
tia.

Dominium, quod Adamo datum a Deo in animalia & quidquid præterea in toto terrarum orbe vivit ſpiratque, & homini poſt lapſum manſit integrum, præcipue trahi poſſet in conſiderationem. Quem Deus in cujuſvis generis animantia, & quidquid in univerſa tellure vitam & ſpiritum ducit, conſtituit Dominum; hunc nemini fas eſt vita & dominio iſto privare, & qui id fecerit, is viciffim vita privator. Ubi cogitare quis & ratiocinari poſſet, & video, iſtum ad modum ratiocinari magna Ingenia, hominem, ad iſtam truculentiam & crudelitatem prolapſum, ut alium occidat hominem, non in numero putandum hominum, pro non homine, pro immani & fera bellua, habendum, & hinc eodem, quo hæc, interficiens hominem, tractari debet, tractandum modo, adeoque æque, atque hæc, morte viciffim eſſe afficiendum, cætibusque & ſocietate hominum ex-terminandum. In declamationibus rhetorum & poëmatarum texturis laudo hujus generis acumina & ſubtilitates: ſed in Lege, eaque concifa, & paucis verbis expreſſa, quis quærat? quis ferat? Ubi indicia, Legislatorem id captare acuminis,

minis, & ludere potius voluisse, quam præcise præcipere, & sanctionis suæ rationem aperte enodateque proponere? Subjungitur, dices, hoc de homicida homine sanctioni de vita non sinenda homicidæ animalis. Ergone vicissim occidendus est homo homicida, quod animali se gerat similem? Cur ergo, si ista argutia nitatur divina Sanctio, non omiſſa prorsus fuit ratio, aut alio modo, aliis verbis, id perspicue insinuantibus, concepta?

Si homo, ut redeam ad *dominium*, quod præcipue in disceptationem venire posse dixi, hominem alium, in quem non habet dominium, occidat, cum eo ex jure talionis, agi, fas est: & querendi non habet causam talis homo, si, quod prius in alium sibi sumserat, id ipsum ei eveniat. Et quum Deus nulli homini in alios homines dederit dominium: hinc omnes homines immediate sub Dei erant dominatu & imperio. Qui nunc suo ipsius arbitratu alium hominem privabat vita, is potestatem & dominium, soli Deo proprium, in se transferre & usurpare poterat censeretur, ideoque tamquam divinæ majestatis juriumque, ei uni competentium, violatorem puniri, vicissimque de medio tolli, conveniebat.

Non nego, id ut rationem adferri posse, propter quam voluntarius homicida itidem morte queat adfici. Non autem palam est, in ratione, a Legislatore adducta, id contineri. Nec quisquam, nisi per retrusas ambages, a quibus legum sententiæ abhorrent, id in ea invenerit.

§. L. Cl. *Heideggerus* (34) quidem id, quod jam tetigi, ex ratione, a Deo producta, exculpere contendit. Is hunc ad modum ratiocinatur: Quoniam homo ad imaginem Dei erat conditus, idcirco immediate dominatui suberat Dei; ergo non licebat ulli homini in alium sibi arrogare dominatum: ergo nec licitum erat ei vitam eripere. Verum enim vero, an credibile est, sapientissimum Legislatorem rationem momentosissimæ Sanctionis sic abdere & de-

Neque satisfaciens est *Heideggeri* explicatio.

A a

tru-

(34) In Historia Patriarcharum Exercitat. XIX. §. XXIII.

rudere voluisse, ut sensus ejus attingi ac detegi non queat, nisi ratiocinio & per viam consequentiarum? Nonne isti, qui hanc adferunt & propugnant explicationem, ipsimet fatentur, hominem imaginem, quacum initio conditus erat, legis divinæ violatione amisisse? At regerunt, hominem amisisse quidem Dei imaginem, Deum vero suum idcirco, quod in hominem habebat, non amisisse jus, neque id deposuisse. Verum est, Deum non deposuisse, quam ut Creator ad hominem habebat, relationem: neque eam potest deponere. Quis vero adfirmare sustinebit, singularem istam *σχισμ* & relationem, quæ initio Deum inter & hominem, imagine ejus adhuc præditum, intercedebat, postquam homo, admissio peccato, eam amiserat, constituisse, & etiamnum constare? Hoc si non est: quam manca ergo erit ab illo statu ad hunc, qui secutus est, & hodieque obtinet, consequentia! Quam parum ea ad rationem legis maximi ponderis quadrabit! Quumque imago Dei in homine in sola mente ponatur, excluso ab ea corpore: quid tandem in causa, quam Deus Sanctioni suæ adnectit, erit ponderis, quid rationis, ad tuendum a læsione corpus? Utta-ream, ex *Heideggeri* glossa, secundum quam ad imaginem Dei conditum esse tantundem dicit, quasi immediate sub solius Dei esse dominatu, dominatum hominis in hominem excludente, sequi, ut omnes hominum in homines dominatus Dei ad hominem relationi adversi, adeoque illiciti sint & criminosi: quod, quum hujusce generis dominatus nusquam Deus damnaverit, sed sanciverit potius & factos tectosque esse jubeat, Rom. XIII. 1. nemo prudens dixerit.

Nostre imaginis Elohim in homine explicatio rationem, sanctioni Gen. IX. 6.

§. LI. At vero adsumatur, in ea etiam parte, quæ proprie læditur & effusione sanguinis vita sua privatur atque evastatur, Adamum *בצלם אלהים*, ad exemplar Dei, Creatoris sui, tanquam veram ejus imaginem expressum & formatum esse, & quamquam *דמות* similitudinem qualitatis amittebat, tamen substantiam ejus mansisse: tunc ex causa,

San-

Sanctioni divinæ subjecta, quivis, qui eam audit aut legit, tardus etiam & bardus, actutum intelligit, istum, qui hominis effundit sanguinem, & corpus occidit, violationis & vastationis imaginis divinæ se reum facere. Summo jure in momentosis constitutionibus, ad universos & singulos spectantibus, hujuscemodi clarus, simplex, & facilis intellectu, expectatur loquendi modus, qui mentem Legislatoris explicite diserteque verbis, quibus uritur, exponat. Et hoc ipsum nostræ ansam præbuit explicationi, eamque pariter justificat, nullumque non crimen, cujus infimulare eam vult vituperandi libido, dimovet. Ita sane tam concise & breviter, quemadmodum facit, loqui poterat Legislator, simulque in brevitate ista tam plane, tamque perspicue, ut tardus etiam & simplex homo ipsum intelligere, tardus & simplex de rationis, a Deo allatæ, convictus esse potuerit æquitate. Hanc evidentiam in receptis expositionibus, ad modulum systematicarum institutionum de imagine Dei in homine conformatis, desiderari, nemo, opinor, negabit. Quum nunc secundum leges Hermeneutices, communibus sapientum calculis probatæ, explanatio nostra sigillum veritatis, characteres interpretationis, aliis quibusvis antependæ, præ se ferat: quænam, obsecro, adferri poterit ratio, cur non admittatur etiam, ceterisque explicationibus, hac carentibus commendatione, præponatur? præsertim quum sapientes Theologi, quamquam vulgari additi sunt doctrinæ, hanc tamen, quam jam defendo, explicationem ab absurditate & deflexione etiam a traditis in sacra Scriptura veritatibus, quæ tamen causæ solæ possent obflare, in totum absolvant. (35)

additam, in tam clara ponit luce, ut nemo non actutum eam capiat, vimque ejus & pondus persentiscat.

A a z

§. LII.

(35) *Franciscus Burmannus*, Theol. celeberr. in explicatione Belgica V. Libr. Moïsi ad Gen. I. 26. IX. 6. agnoscit in corpore Adami quasi *απαυροσμο* imaginis divinæ in animo splendentis, quam Dei imaginem
fran.

Jac. III. 9.
genuinum
contextus
Gen. IX. 6.
fensum re-
cludit, & ex-
plicationem
nostram fla-
gitat & con-
stabilis.

§. LII. Agmen claudat Locus oppido eximius & quantivis pretii, qui in primam educi debuerat aciem, & mentem Legislatoris Gen. IX. 6. in voce **אדם**, cujus vera intelligentia ad arcem ducit veritatis, enudat. Locus hic exstat Jac. III. 9. *Per ipsam (linguam) benedicimus Deo & Patri, & per ipsam execramur* *ἀνθρώπους, τὰς κατ' ὁμοίωσιν Θεῶν γεγυότας, homines ad similitudinem Dei factos.* An intelligemus cum nonnullis Interpretibus per hocce homines homines regenitos, ad imaginem Dei renovatos? An Apostolus ad Adamum, fatorem hominum, totiusque sui generis caput repræsentativum, in quo ergo, si humani generis spectetur primordium, homines ad imaginem Elohim, Creatoris, facti sint, respexit? Ego ita censeo: Apostolum non de solis regenitis, sed de quibusvis loqui hominibus, quos, nec inimicis exceptis, Matth. V. 44. execrari nefas est. At obstare videtur, quod *Jacobus* discrete de hominibus loquatur, ad imaginem Dei factis. Id ferit illos, qui aliam Dei in homine imaginem, nisi in morali-

libus

frangi ait in corporis occisione; quapropter *occidendus sit, qui hominis sanguinem effundit.* Ego veram corpori Adami tribuo *ἀπαύρασιν* **אדם** creatis ipsum Elohim: sed quod, amissa internæ imaginis luce, amissum simul est, & hinc, si quam homo retinuit Dei imaginem, ad eam non potest referri. Agnosceat item doctissimus *Burmannus*, conspicuam etiamnum Dei in corpore hominum imaginem, quæ corporis violetur & destruat interemptione, hancque imaginem in causa esse, ut animal occidere liceat, hominem non liceat. Pulcre vidit præstantissimus Theologus, ut ratio sibi constet Sanctionis de non occidendo homine, propterea quod *Deus creavit homines, ad sui, Creatoris, æulem, imaginem*, hanc etiamnum in corpore hominum esse & supponi superstitem. At vero non explanat eam, non demonstrat ejus in Deo Creatore exemplar: neque demonstrare illud poterit receptis doctrinis adductus. In *dominio in animantia* poni non potest ea in hominum corporibus, & agnita a præclaro Theologo, imago Dei: quam ipse in *Synopsi Theologiae Tom. I. p. m. 398.* contra Socinianos recte doceat, in dominio isto, quod ab imagine Dei in hominibus expresse distinguitur, & ut conse-

quæis

ibus animi perfectionibus, sitam, non agnoscunt: qua certum est plurimos homines carere. Nec verisimile est, Apostolum qualitatis, quæ non adest, mentione execrationis demonstrare voluisse iniquitatem, eamque arcere & proscribere. Apostolum, ego non dubito, nostrum, qui Gen. IX. 9. prostat, respexisse contextum: ex quo, recte & secundum mentem nostram explicato, homines adhucdum Dei, Creatoris sui & Liberatoris, gerunt & repræsentant imaginem. Si hominem occidere non licet, quia Deus ad imaginem suam fecit eum; etiam non licet execrari & profcindere maledictis, quæ species sunt necis. *Lingua eum occidamus*, fremebant Judæi, in Jeremiam prophetam exacerbati, Jer. XVII. 18. Considera *versum* proxime præcedentem, ubi Apostolus *plenam* esse ait *Veneri mortiferi* ferocientem linguam, & senties, animo Viri sancti, quam illustrare intendo, obversatam esse necis ideam. Nec est, quod vox *ἑμοιωσις* nos turbet, qua Græci Interpretes

A a 3 pro

quens ejus ab ipso Deo proponitur, Gen. I. 26. male collocari Dei in homine imaginem, corruptaque imagine sapientiæ & sanctitatis etiam dominium illud periisse. Nos Imaginem istam in hominibus, immo vero in hominum corporibus, superstitem, hujusque imaginis in Creatore exemplar demonstramus.

Ceterum memorabile est, idem, quod nos hic de Adamo docemus, e terra, aqua macerata, ad imaginem formæ corporeæ, a Creatore hominis adsumta, formato, in fabula tradi *Promethei*, qui *recentem tellurem*, poema audis *Ovidii* in principio librorum *metamorphoseon*, *mixtam fluvialibus undis, sine in effigiem moderantum cuncta Deorum*. Præter hæc a *Prometheo* compositus homo narratur primo sine sensu fuisse, vitam autem demum, quam *Prometheus* ignem, (*Hesiodus* in *Theogonia* V. 566. 569. nominat *πυρος τηλεσκοπον αυγην*, ignis eminentem apparentem splendorem) celo delatum, pectori ejus admoveret, ingressus esse. Adamum initio sensu & vita caruisse, inde ab *Elohim*, Creatore, caelesti igneque simili splendore amicto, adspiratum & luce Creatoris sub inspirationem spiritus vitalis impertitum spirare & vivere coæcepisse, hæc probare me puto dissertatione.

pro דמות utuntur, אדם vocabulo εἰκων exprimentes: quum ὁμοιωσις laxiorem facile induere potuerit sensum, & idem prorsus, quod εἰκων, imago, significare; eo magis, quod ab imagine abesse non possit similitudo.

Ceterum notabile est, Apostolum *Jacobum* vocem numeri singularis אדם *Adam*, quæ habetur Gen. IX. 6. Vertere ανθρωπος, *homines*, numero plurali. Quod sane secundum explicationem nostram poterat facere; ex qua quemadmodum primus hominum, *Adam*, ita etiam nati ex eo homines omnes, qua substantiam, Dei, Creatoris & Liberatoris hominum, gerunt imaginem. Ex mente ergo Apostoli, eoque præeunte, Dei de homicida, vicissim occidendo, Sanctionem vertere licet, & pollicem premente veritate, vertimus: Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguis illius effunditor: quoniam ad imaginem suam homines fecit Deus, nomen *Adam*, quo sensu & alias pluribus in contextibus usurpatur, collective accipientes. Secundum quam interpretationem Deus non solum *Adamum* fecit ad imaginem suam, sed etiam in & cum *Adamo homines omnes*, lege generationis qua substantiam ei similes futuros. Quod quomodo verum sit, & ita verum, ut hominis cædes imaginis Dei, in homine præsentis, inferat violationem, hac commentatione me puto explanare.

Solvitur ob-
jectio quæ
Explicatio-
nem no-
stram vide-
re evertere.

§. LIII. At dices, quum *Adam* statuatur *betzelem Elobim* conditus, & non *Eva*: (Redi ad §. XIV.) inde sequi, ut ratio, Sanctioni de homicida vicissim occidendo addita, ad solos spectet viros: Legem vero hanc sine dubio ad feminas æque ac ad viros pertinere. Difficultas ista tollitur; si muliebri genus in primo suo consideretur ortu, ex quo mulier e carne & ossibus desumpta & concinnata est *Adami*: adeoque ut pars ejus, & in eo, sive ut unum cum eo efficiens hominem, censeri utique potest & debet: Ex quo consequitur, in muliere,

liere, quæ occiditur, occidi primum hominum parentem, primi hominum parentis violari corpus & *doğav*, frangi ossa, lacerari carnem: eandem adeoque in eadem cunctorum, qui ex Adamo, *betzelem* Elohim formato, nascuntur, sive sint mares, sive feminae, in & cum Adamo unum humani generis sistentes corpus & unum quasi hominem, statui & statutam esse pœnam. Concipe, Adamum in relatione ad totum genus humanum, ex eo oriundum, in sanctione Gen. IX. 6. proponi: sententia ejus ex mente Legislatoris hæc erit: Quisquis animo & corpore, (in actionibus corporis, ab imperio mentis pendentibus, sive præcipiantur, sive interdican- tur, motus mentis, actionem vel promovens, vel impediens, simul vel præcipitur vel interdicitur) adeoque sciens & volens diditaque opera effundit Adami, Adamidæ, sanguinem, ut ejus hac sanguinis effusione destruat corpus & vita, istius percussoris vicissim sanguis per Adamum, Adamidas, eandem cum occiso ad primum hominum omnium parentem habentes relationem, sanguinem eundem, qui effusus est, participantes, effunditor: Quoniam Elohim in principis hominis, hominum omnium parentis, Adami, corpore sui, Creatoris, & futuri Liberatoris hominum, posuit & expressit formam & imaginem, idque instar opificis, qui in opus, quod parat, *incumbendo*, cum cura & industria ad typum, quem sibi proposuit, illud elaborat, suis ipsiusmet manibus fecit construxitque, suo ipsiusmet adflatu animavit. Oratio Legislatoris, hunc ad modum digesta instructaque, insinuat, in quocunque Adamida, cujus corpus infesta privataque cæde perimitur, iudicio divino censeri ipsius Adami, hominum universorum parentis & capitis, nefaria cæde ista violari & contruncari, quod Elohim, hominis Creator, ad veram & vivam sui expressit imaginem, corpus. Unde manifestum sit, quomodo

Periphrasis
sanctionis
Gen. IX. 6.
ex mente
Legislatoris.

Ada-

Adamus communis feminarum ac virorum sit parens, vindicationem cædis illarum non minus ac horum Satisfactione Gen. IX. 6. contineri ac præcipi: nec minus perpetrare scelus & piaculum, qui feminam, atque qui virum, occidit.

Hic univerforum hominum cum Adamo nexus clarissimo lucet signo in *fædere isto universali*, quod Deus cum Adamo pepigit, in quo Adamus constituebatur caput repræsentativum universi sui generis, atque ita ut unam cum omni posteritate sua, feminas æque ac mares complectente, personam, & unum quasi hominem, efficiens, considerabatur & tractabatur. Vice versa, quando in primæ Promissionis sententia Deus ad serpentem, diabolum, dicit: *Inimicitiam ponam inter te & mulierem hanc*, Evam scilicet, Adam ab ea non debet separari, sed in Eva, quia sunt una caro, Gen. II. 23. 24. comprehenditur (36). Veluti & mulieres in circumcissione & aliis cultus Levitici cærimoniis ac ritibus in viris reputatæ censentur.

Proprietati,
Verbo \aleph
in formatio-
ne hominis
datæ, \aleph obst
obstat Gen.
II. 19.

§. LIV. Agnoscunt Theologi actum creationis hominis oppido differentem esse ab actibus creationis rerum ceterarum, & vi Verbi \aleph Creatorem hominis ut *figulum* introduci. Laudatus antea *Burmannus* in *Synopsi Theologiae* Tom. I. p. m. 307. Ita, inquit, *in eo dignitatis nostræ commendatio est, quod Deus ipse glebam hanc quasi digitis suis comprehendere & tractare dignatus sit, & corpus humanum non simpliciter creaverit, sed instar plastis manu sua efformaverit & finxerit.* Quod illi, credo, *metaphorice* accipiunt, ego (Vid. supra §. VIII.) *proprie* intelligendum, arbitror. Hoc enim nisi facias, & Deum corpore adsumto & sic manibus & digitis lutum tractavisse & efformavisse itatuas ad instar figuli: nudo jussu voluntatis divinæ formationem hominis


(36) Cl. Gurslerus in Instit. Theol. p. 478.

minis peractam esse, scilicet, necesse est. Et quænam tunc, obsecro, inter hunc & præcedentes actus, in quibus & nude jubendo res creatæ & formatæ sunt, intercedet differentia? Non obstat, quod Gen. II. 19. idem Verbum Υ de formatione omnium bestiarum agri omniumque volucrum cæli e terra adhibeatur. Patet enim, harum productionem e terra unico & solo voluntatis divinæ factam esse jussu. Conf. Gen. I. 24. 25. Patet autem simul, actum, quo Creator hominem e terra formavit, ab eo, quo reliquæ producta sunt animantia, distinctum & diversum esse. Quæ distinctio in eo prodit, quod Deus e *pulvere*, humore adperso & macerato, qualem pulverem *lutum* nominamus, ipsemet hominis conformavit corpus, Gen. II. 6. 7. veluti formato a se corpori ipsemet *αἵματος* spiritum vitæ inspiravit. Quo pacto Deus *εἰσέλας* erat plastes & formator hominis, & homo singulari & priva ipsi ratione Dei opificium, & qua animam, & qua corpus. Nec clam est, in historia hac Deum tanquam *generis humani figulum* proponi & considerari: quum passim, cum respectu ad primam ejus originem, *homines* ut *lutum*, & *formator* eorum ut *figulus*, introducantur, Esai. XLV. 9. LXIV. 8. Jer. XVIII. 6. Rom. IX. 21. Job. X. 9. XXXIII. 6. Historia formationis hominis diserte commemorat; Deum *Adamum pulverem ex terra*, seu *ex pulvere terræ, vapore aquoso irrigato* Gen. II. 6. 7. effinxisse Adami corpus, quod in productione animalium non additur. Hinc Deus post lapsum ad hominem, *Pulvis es*, inquit, & *in pulverem revertaris*, Gen. III. 19. 1 Cor. XV. 47. Adhæc uno & simplice jussu voluntatis Deus cetera e terra produxit animantia: in effingendo autem homine e pulvere terræ, aqua macerato, seu luto, gradatim processisse Deum, prius efformavisse corpus, tum inspiravisse in nares spiritum vitæ, legimus.

Notabile interim est, verbum Υ in historia creationis non nisi de entibus, ex anima & corpore compositis, usur-

pari: de animantibus, ex corpore & anima sensitiva coa-
 gmentatis, præsertim & peculiari quodam modo de homi-
 ne, constante ex corpore & anima, sensitiva quidem etiam,
 sed insuper rationali. Nativam verbi צר faciem propius
 cernere datur in thematibus cognatis, צר, אצר, אצור, אצור,
 צור, צור, צור, צור, צור, צור, צור, צור, צור, צור, צור,
 secundum quam valet *flectendo, torquendo, stringere, con-*
stringere, stringendo revincire, circumvincire, & hoc modo
formare & fingere quid, quod adstrictum probe & circum-
strictum, arctique clausum, est, ut in cavo ejus recessu re-
condi quid & conclusum teneri possit: Qualia sunt va-
sa, testæ & ollæ, quas e luto efformat figulus. Homi-
nis corpus se testæ & vasis instar habet, quod eum in fi-
niem a figulo formatur, ut condatur eo quidquam, vel
paretur efficiaturque, 2 Cor. IV. 7. 1 Theff. IV. 4. Quum-
que & animantia instructa sint corpore organico, cui
ad certos usus in domo & æconomia hujus mundi præ-
standos adjungitur atque inditur anima: non incongruum
nec inconcinnum est, corporum, quibus tum homines, tum
*animantia, in efficientia sua omni tanquam *σχεῖσι* organis*
& instrumentis, utuntur, & in quibus anima tanquam in domo,
munita undique & revincta pulcre, quasi conclusa habitat &
operatur, adaptationem in historia creationis Verbo eodem
*צר signari. Animantia certe æque ac homo נפש היה *anima**
compacta, cum corpore scilicet, in eoque spirans vivensque,
nominantur. Hæc interim similitudo, & idem de utrisque
usurpatum Verbum צר, non impediunt, hominem esse
נפש היה longe nobiliorem præstantioremque, quemadmo-
dum revera est, ad imaginem Creatoris sui secundum simili-
tudinem ejus conditus: & veluti singulare & peculiare quid
factum in mentis vitæque in homine productione, quod fa-
ctum non est animantibus; ita etiam in formando corpore, ad
hominem insignitius a rebus creatis ceteris, & animantibus
quoque, in qua dominium ei prædestinatum erat, distinguen-
dum, singularem quoque & peculiarem initam esse rationem.

Soli Deo gloria!



ANNEXA A RESPONDENTE
VARIA MATERIES DISPUTANDI.

I.

Quam vere ego existo, tam vere existit Deus.

II.

Revelatio, a Deo profecta, etiamsi contineat veritates, quæ sunt supra rationem, nihil tamen habet rationi contrarium.

III.

Omnia, quæ peccatori in hac vita ad salutem scitu, creditu & factu, sunt necessaria, clare in sacra Scriptura sunt revelata.

IV.

Sacram Scripturam de industria in essentialibus corruptam esse, negamus.

V.

Finis primarius sacræ Scripturæ est, ut peccatori ostendat medium, per quod peccator, a vita Dei abalienatus, denuo cum Deo in gratiam venire possit.

VI.

Versio sacri Codicis, quæ Vulgata dicitur, authentica non est.

B b z

VII.



VII.

Nomen Jehovah nulli creaturæ in sacra Scriptura tribuitur.

VIII.

Scheva, cholem & Kamez, sunt genuina puncta hujus Nominis.

IX.

Miracula, a magis Ægyptiorum patrari visa, revera ab ipsis non fuerunt patrata.

X.


Miracula, a Mose, Christo & Apostolis, patrata, fuerunt miracula veri nominis, adeoque argumentum & criterium habent divinæ & missionis, & revelationis.


XI.

Dogma, hominem hac in vita istum perfectionis gradum attingere, ut plane non peccet, sacra Scripturæ non est consentaneum.









DISSERTATIO THEOLOGICA,
 IGNITATEM NATURÆ
 HUMANÆ
 EX GEN. IX. 6.

QUISQUIS
 EFFUNDIT SANGUINEM HOMINIS,
 HOMINEM SANGUIS ILLIUS EFFUNDITOR:
 QUONIAM
 IMAGINEM SUAM HOMINEM FECIT DEUS,
 DEMONSTRANS.

PARS TERTIA ET ULTIMA
 QUAM V. D.
 ACADEMICO AUDITORIO MAJORE
 MDCCCLXIV. DIE XV. FEBRUARII,
 CIS, HUBERTIBURGI ABHINC ANNUM
 CONCILIATÆ,
 NATALI,
 PUBLICÆ DEFENDENT H. S.
 PRÆSES
 PETRUS JANSSEN,
 THEOL. DOCT. EJUSDEMQUE ET HISTOR. ECCLES.
 PROFESSOR PUBLICUS ORD.
 ET RESPONDENS
 WERNERUS KÆMERLINGS,
 DURSELO JULIACENSIS.



TEUTOBURGI AD RHENUM,
 TYPIS FRANCISC. ADOLPH. BENTHON,
 ACAD. TYPOGR.

